H. VENEMA
EPISTOLA
AD
VIRUM CELEBERRIMUM
P. WESSELING
QUA
DUAS CLEMENTIS EPISTOLAS, A CL. WETSTENIO AD CALCEM N. T. NUPER PUBLICATAS, EPIPHANIO ET HIERONYMO NOTAS FUISSE, IN DUBIUM VOCATUR, ET DE SCOPO *POSTERIORIS*, SIC DICTÆ, *EPISTOLÆ* CLEMENTIS AD CORINTHIOS DISSERITUR.

HARLINGÆ,
Apud FOLKERT JANS VAN DER PLAATS,
Bibliopolam. cIɔ Iɔ CCLIV.

VIRO LONGE *CELEBERRIMO* P. WESSELING S. P. D. H. VENEMA.

§. I.

Binas Clementis Romani Epiſtolas, quas nuper cum publico communicavit Cl. Wetſtenius, ipſeque pro genuino viri iſtius Apoſtolici foetu habet, quæ totæ in *virginitate* virorum & fœminarum, non tantum extollenda, ſed & inprimis bene & pie agenda, ſine offenſione & periculo, verſantur, etſi avide exſpectaverim & adtente perlegerim, præjudicio potius favorabili, quam iniquo, ut erga cuncta canæ vetuſtatis monumenta, ita & erga haſce antiquitatis purioris reliquias adfe-

ctus, nonnulla tamen sese mihi obtulisse dubia diffiteri nolim, quæ, quominus in Doctissimi Editoris sententiam descendere ausim, hactenus impediveverunt. Quæ eo animo in lucem proferre constitui, non ut cum Viro Clarissimo, cujus ego eruditionem multum veneror, aut alio lites geram, a quo, ut nosti, alienissimus sum, si quis ullus; sed cum ut doctioribus de eo severius cogitandi ansam præbeam, tum ut ea mihi & aliis, quibus fortasse similia oborta sunt, eripienda & solvenda proponam. Tot vero cum sint spuria scripta, Clementis nostri nomen mentita, *Canones Apostolici*, *Constitutiones Apostolicæ*, *Recognitiones*, *Clementina*, & alia, ne deperdita memorem; *Una* tantum superfit *Epistola* ad Corinthios, nomine Ecclesiæ Romanæ ad schisma eorum, ex ambitione ortum, sopiendum, nunc communi fere calculo comprobata, *alia* adhuc dubiæ, etiam mihi cum maxime, autoritatis; tot etiam ab impostore Leucio Sec. II. & aliis sint in laudem virginitatis ficta, & viris primæ successionis Apostolicæ inscripta, ut Acta Pauli & Theclæ, Acta Andreæ & Tomæ *Apostolicis*, sic dictis, & virginitatis cultoribus, maxime, teste Epiphanio [a], in usu, historia Apostolica Abdiæ, Epistolæ interpolatæ Ignatii, & alia: ipsa suadet veritas & prudentia, ne in ejusmodi monumentis recipiendis nimis simus faciles; sed cuncta ante æqua lance ponderemus, quam de eorum valore temere pronunciemus. Ad Te vero, mi Petre, quare hanc *primam* direxerim Epistolam, etsi nemo, cui nostra per tot annos, ab ipsa adoles-

cen-

[a] Hær. Apostolic. LXI.

centia, sine ulla interruptione, constantissime & integerrime culta, non est ignota amicitia, miraturus sit; amicitia tamen illa nostra non tantum in causa est; sed &, cum ut pro docta tua ad me ante quinquennium data epistola publice grates agerem, tum quod Tu me maxime ad dubia mea contra hasce epistolas, statim ac Tibi per litteras exposueram, in lucem danda excitaveris; Tu quoque, quod pace Tua dixerim, dubiis meis solvendis, aut firmandis consensu Tuo, unus instar omnium in hisce oris par habearis. Quod alterutrum ut facias, enixe peto.

§. II. *Primum* mihi dubium, ut mox in rem veniam, non oblivio tantum harum Epistolarum, qua, manibus Christianorum elapsæ, in tenebris per tot secula jacuerunt, sed in primis silentium Veterum omnium, si forte ab Epiphanio & Hieronymo, de quibus mox, discesseris, quorum nullus earum vel verbo meminit, concitavit haud exiguum. Tantæ enim cum fuerit famæ & auctoritatis in Ecclesia noster Clemens; tot jam a primis temporibus Christianismi virginitatis studiosi, tam pii etiam *ascetæ*, tanta dein a Sec. IV. Monachorum & eremitarum, inter quos plurimi, utique in initiis, nec deinceps nulli, pietatis quoque & probitatis amantissimi, inter Christianos locum tenuerint; nec defuerint, qui huic instituto sese iniquiores præstiterint; quæ nemini non putem notissima: cui non mirum accidat, tam insignia virginitatis testimonia, a viro Apostolico profecta, in densissimas fuisse missa tenebras? quæ quæso hujus rei fingi poterit ratio? Displicuerint pia viri præclari monita de bonorum operum studio cum virginitate

conjungenda, si quid valitura sit apud Deum virginitas; Epistolas tamen hasce data opera non sepelivissent: & qui potuissent? maxime cum per omnia tempora non defuerint probi ascetæ, & monasteriorum reformatores; qui auro contra carum habuissent hoc monumentum, & eo usi fuissent sedulo.

§ III. Atenim cum exempla pretiosorum, & primæ antiquitatis, scriptorum deperditorum non deficiant, nec, ut aut casu aut alia de ratione, nobis ignota, scriptum, maxime si non magnæ molis, evanescat, impossibile sit: illud in primis urgebo, tam altum apud omnes, per omnia tempora, etiam primorum seculorum, de hisce Epistolis silentium vix percipi posse, ita ut nemo non tantum citaverit, sed ne quidem vel minimam fecerit mentionem, adeoque nemo unquam aut oculis usurpaverit, aut fando quid de iis audiverit, licet Clementis opera, genuina & spuria, studiose semper fuerint observata & memorata, tot quoque sese obtulerint & hæreticis & sanioris fidei patronis, utrisque, licet ex diverso principio, virginitatis præconibus, occasiones ad has epistolas provocandi, in primis quando *συνεισάκτες fœminas extraneas* nomine *sororum*, & Clerici & deinceps Monachi, sibi cœperunt adsociare, & huic pravæ consuetudini sese opponere prudentiores & probiores, jam a seculo III: quorum superest antiquum monumentum inter opera Cypriani, *de singularitate Clericorum*. Nullum vero vel levissimum adparet vestigium, ex quo, non dicam certo, sed probabili conjectura, alicui Veterum eas innotuisse, colligi possit. Quid?

quod

quod Irenæus [a] unius tantum Epistolæ ejus ad Corinth. meminerit; Eusebius [b] quidem unam adhuc alteram memoraverit, verum addita nota, *eam non similiter ac priorem cognitam fuisse; quoniam nec veteres ea usos fuisse scimus*, inquit. De nostris vero Epistolis ne γρὺ quidem. Clemens quoque Alexandrinus, qui *priore* ad Cor. toties utitur, cum de *posteriore* sileat, eam antiquis non fuisse receptam, quod Eusebium modo vidimus adfirmantem, sicut recte colligitur; ita nostras ipsi plane fuisse ignotas eo majore iure derivatur, quod, ex. gr., Paulum Apostolum inter conjugatos retulerit [c]; non facturus, si hasce Clementis Epistolas vidisset.

§ IV. Aliis missis, ad Epiphanium & Hieronymum, quibus Epistolæ nostræ non tantum notæ, sed & pro genuinis habitæ censentur a Cl. editore, nos conferamus, &, num illud dubio careat? dispiciamus. Epiphanius [d], Ebionæos falsatorum scriptorum Clementis Romani, quæ περίοδοι *circuitus Petri* adpellantur, & Clementi inscribebantur, reos acturus, *epistolas Clementis circulares, quæ in Sanctis Ecclesiis leguntur*, in medium profert, & eorum ac Clementis diversas doctrinas, duobus productis ex illis epistolis exemplis, demonstrat; quorum alterum est, Clementem ibi *docere παρθενίαν virginitatem, quam, Ebionitæ*, dicit, *repudiant*; alterum, ipsum ἐγκωμιάζειν *laudibus extollere Eliam, Davidem & Samsonem ac omnes Prophetas, quos illi detestantur*. Ecce duo Epistolarum, de quibus agimus, criteria! quæ frus-

[a] adv. hær. l. III. & 3. [b] Hist. Eccles. l. III. c. 38. [c] Strom. l. III. c. 6. p. 535. [d] Hær. XXX. §. 12. p. 139.

frustra in Epistolis Clementis aliis reperias. Nusquam enim alias, ut putatur, *virginitatem* docet, nusquam *Samsonem* celebrat: quod tamen utrumque in his facit Epistolis. Nihil videtur clarius, nec tamen mihi; cui omnis nondum est ademtus scrupulus. Nescio enim 1. qua ratione Epiphanius hasce Epistolas adpellare potuerit ἐγκυκλίυς *encyclicas*, circulares, quæ *in Sanctis ecclesiis prælegun-tur*? id quod Eusebius [a], ipse etiam Hieronymus [b], de una sola Clementis Epistola ad Corinthios testatur, ultimus vero *Canonum* Apostolicorum, ut vocantur, de *duabus*: quæ, licet mutilæ, in manibus nostris sunt. Ex quo, ni fallor, elucescit, Epiphanium, hoc addito critero, nostras epistolas, quarum nullus meminit, in oculis non habuisse, sed vulgatissimas illas, vel duas, vel *unam*, non obstante numero plurali, de quo mox. 2. Nec illud in Epistolas, quæ nos exercent, quadrare videtur, quod *Davidem* & *Samsonem* simpliciter & tantopere celebrare dicatur Clemens in Epistolis illis, ut verbo ἐγκωμιάζειν uti debuerit. David enim & Samson longe alio scopo hic in scenam prodeunt, tanquam qui per commercium cum mulieribus in gravia inciderint crimina; ut eorum exemplo admoniti continentes ab omni vel levissimo consortio cum fœminis sibi solicite caveant. Laudat quidem ceteroquin Davidem, sed de *Simsone* nihil aliud habet, ac ipsum fuisse Naziræum, virum fortem & Spiritu Dei, sc. heroico, præditum: illudne meretur, *laudibus ornari*, dici? 3. Denique, si hasce Epistolas coram oculis habuisset Epiphanius, dixissetne tam je-

a Hist. Eccles. l. c. b de Viris illustr.

jejune, eum *docere virginitatem*? quam ad cœlum usque extollit, tanquam divinam & Angelicam vitam: hic potius verbum ἐγκωμιάζειν adhibuisset.

§ V. Quid itaque? ad celebratissimam Clementis ad Corinthios Epistolam quominus respicere potuerit Epiphanius, quid prohibeat, non video? quo epitheton epistolarum *circularium*, quæ *in Ecclesiis prælegantur*, nos unice ducit. Nec abhorret, quod Clemens in illis docere dicatur virginitatem; cum plus semel *castitatem inculcet*, *virginitatem* quoque, voce licet illa non adhibita, quæ postea in usu cœpit esse frequentiore, & propterea ab Epiphanio usurpata, non negligat docere; ut loca, a Grabio [a] jam prolata, abunde evincunt. Alteram Clementis Epistolam, cujus fragmentum tantum restat, si Epiphanio quoque obversatam fuisse velimus, quod omnino putem, cum quod encyclicas adpellet epistolas, tum Epistolarum meminerit; res clarior adhuc evadet: ut ibidem jam docuit Grabius. De quo mox plura dicam. Hæccine non sufficiant verbo *docere*, quo utitur Epiphanius? fortiore, sine dubio, usurus, insignis & ipse virginitatis patronus, si encomiis aliquibus ornasset virginitatem Clemens. Laudibus præterea in ipsa illa Ep. ad Cor. honoravit Eliam & Davidem, quod hic tradit Epiphanius, uti notum est. [b]. Sed *Samsonis*, quem addit Epiphanius, nullam facit mentionem; agnosco. Nec tamen mentem muto: quia Epiphanius memoria potuit esse lapsus; vel ipse ob nobis ignotam rationem data opera adjunxisse Samso-

[a] Spicileg. Patr. sec. 1. p. 263. [b] § 17, 18.

ſonem; quod veteribus in aliorum ſcriptorum, etiam ſacrorum, citationibus frequentiſſime contingere, Doctis, Tibi utique, Cl. Weſſelingi, notiſſimum eſt. Sed abſolvamus Epiphanium, licet minus accuratum auctorem, ſi per Te liceat, ab hoc errore; nec ipſi, ſed librario, Samſonem acceptum feramus, qui, compendioſa ſcriptura Σαμ. deceptus, de *Samuele* fecit Samſonem, & ibi [a] & paulo poſt [b]. Cujus conjecturæ fundum præſtat, quod 1. inter eos, qui ex V. T. Sanctis ab Ebionæis ſpernebantur, ubi eos ex profeſſo recenſet Epiphanius [c], nullus locus detur Samſoni, & mox [d] Samuelem iis diſerte adnumeret; Samſonis mentione vel a librario ex ſuperiori lapſu, vel ex ambiguitate lectionis Σαμ. & ibi addita. 2. *Samſonem* in hac ſerie orationis memorare non potuerit: cum quod inter Prophetas locum tenere non queat; in quibus recenſendis eſt Epiphanius, *Samſonem & cunctos prophetas* a Clemente laudari tradens: ad quam orationem ecquis eſt, qui non offendat? tum quod *Samuel* & cuncti prophetæ recte conjungantur, & alibi ſoleant; uti, ne alia proferam Act. III. 24. &. *omnes Prophetæ, a Samuele & ſequentibus*; c. XIII. 20. *dedit judices usque ad Samuelem Prophetam*; nec non Hebr. XI: 32. *David, Samuel & prophetæ* occurrunt. 3. Samſonem quare Ebionitæ cum deteſtatione reſpuerint, cum Moſen & Joſuam, tanquam *ſucceſſorem ejus*, adſumſerint, ipſo Epiphanio teſte, ratio nulla ſit; quæ de *Samuele* ſusque deque habito reddi poteſt facillima ex mente Epiphanii;

quia

[a] p. 139. [b] p. 143. [c] p. 142. [d] p. 143 [e] p. 142.

quia in Prophetas, quorum unus & primus fuit *Samuel*, male fuerunt adfecti; eo magis in *Samuelem*, quod is Davidem unxerit, quem detestabantur Ebionæi, si Epiphanio credendum sit. Taceo, 4. nullam dari posse vel probabilitatis aliqua specie vestitam rationem, quare ex tot aliis post Josuam, quem adoptarunt, *Samsonem* in specie cum Davide & Elisa traduxerint, aut quare Epiphanius unius *Samsonis* expresse voluerit meminisse.

§ VI. Sed unde *Samuelem*, si ei locus hic sit dandus, exsculpserit Epiphanius, si ad Epistolas vulgatas Clementis respexit? cum nec ipsum expresse memoraverit Clemens, ubi Eliam, Elisam & Davidem celebrat *a*. Fieri potuit, ut vel ex generali *Prophetarum* mentione apud Clementem, qui Eliam, Elisam, Ezechielem & *Prophetas* celebrat, *Samuelem* eodem loco fuisse apud ipsum habitum cogitaverit, adeoque ex memoria locum illum citans addiderit Samuelem, tanquam a quo Prophetarum series repeti soleat, sicut Clem. Alex. *b*, eundem locum nostri Clementis citans, adjecit *Johan. Baptistam*, vel pro *Ezechiele* apud Clementem legerit, aut legendum censuerit Samuelem, serie recensionis id requirente; & Apostolo Heb. XI: 32, quem Clementi obversatum fuisse veteres passim statuerunt, & phrasis in ovillis ac caprinis pellibus, qua Clem. & Ap. l. c. utitur, probabile reddit, præeunte; & ipse enim numerat *Davidem* & *Samuelem* & *Prophetas*; plane ut isto in loco Clemens. Quam crisin mihi non displicere fateor; cum, quo scopo *Ezechielem* hic in specie nominaverit, non adpareat. Quo

a l. c. *b* Strom. l. IV. c. 17. p. 611.

Quo admisso, mendum jam tempore Clem. Alex. in locum istum irrepserit, necesse est, nisi & Clem. Alex., qui, verba Clementis Romani citans, *Ezechielem*, *Johannem*, *Prophetas* habet, in eodem mendo cubet. Addi posset, Epiphanio *Samuelis* mentionem apud Clementem eo magis adridere potuisse, quod in catalogo sanctorum V. T., qui miraculis inclaruerunt, *Samuel* & *Elias* quoque connectantur, Davide in medio posito, tanquam qui Samueli charus fuit, in *Constitut.* Apostolicis, [a] nostro Clementi adscriptis, quibus fidem suam, ut nosti, obstrinxit Epiphanius.

§ VII. Quicquid sit, pro tam explorato non esse habendum, Epiphanium in controversas Clementis Epistolas oculos habuisse defixos, me reor evicisse, quod hic abunde sufficit. In Hieronymi testimonio eludendo si res tam bene succedat; neminem veterum Epistolas illas memorasse, concludendum erit. Hieronymus, virginitatis honores & præmia contra Jovinianum, qui conjugium pudicum non minoris faciebat, vindicaturus, cum dictum Domini nostri de *eunuchis propter regnum cœlorum* citasset, duorum etiam spadonum ex Script. meminisset, & hoc telum pro more suo in adversarium torsisset, ita pergit [b]: *ad hos* & *Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit epistolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit.* Quæ verba cum in *duas* dudum vulgatas Clementis epistolas non videantur quadrare, quippe quæ nec ad eunuchos tales scriptæ sint, nec virginalem puritatem expresse memorent, tantum abest, ut totum fere earum hoc argu-

[a] lib. VIII. c. 1. [b] contra Jovin. l. 1. p. 21.

gumentum sit, in controversas autem epistolas exacte, Hieronymum eas ante oculos habuisse, cui possit esse dubium? Longe majore sese hoc commendat, fateor, specie, ac quod ex Epiphanio prolatum est: nec tamen omnis mihi exemtus est scrupulus. 1. Qua ratione Hieronymus secum tunc conciliari queat, equidem non video. Alibi enim *a* duas tantum superesse Clementis epistolas, Eusebio & aliis memoratas, quarum alia in Ecclesiis publice legitur, alia reprobatur, diserte tradit. Neutram harum si hic intenderit, sed alias Clementis Epistolas, sibi nimis aperte foret contrarius: utique non potuisset hic commemorare Epistolas, tanquam communiter notas, uti sermo ejus indicat: loquitur enim tanquam de re nemini non, etiam adversario suo, cognita; nulla addita nota, ex qua se novas citare epistolas possit intelligi. 2. Vix quoque ac ne vix percipio; ipsum, qui in disputationibus cum adversariis, hoc in primis in libro contra Jovinianum, omnia exaggerat, rem extenuaturum esse, & cum restringendi vocula, *pene*, dicturum, *omnem pene sermonem de virginitatis puritate contexuit*, si ad nostras epistolas respexisset: cum per duas illas Epistolas nihil aliud agatur, quam de virginitatis puritate; & totæ eo spectent, ut virginitatis cultores recte instruantur, & dirigantur. Tu, qui Hieronymi genium tam accurate perspectum habes, hoc ut credas, in animum poteris inducere? 3. Denique hasce si oculis lustraverit Epistolas Hieronymus, qui nihil intactum reliquit, quo pungat adversarium, quæ quæso ratio fingi poterit, quare epistolarum commemoratione nuda, & obiter facta, contentus, epistolis non fuerit contra

ad-

a Vir. illustr. c. xv.

adversarium usus? eas non urserit; viri Apostolici, & tantæ autoritatis, testimonio non protriverit Jovinianum, tanquam apostolicæ doctrinæ desertorem; nullum inde locum in tota hac disputatione, licet occasio sese ubique offerret, citaverit? 4. Mitto, nemini non valde paradoxum videri debere, epistolas, si Hieronymo fuerint cognitæ, & ab ipso in hac Disputatione productæ, omnes alios præter ipsum latuisse, adeo ut ne vestigium quidem earum hoc tempore apud ullum occurrat.

§. VIII. Dicemusne itaque, Hieronymum, aut lapsu memoriæ, aut opinione delusum, auctorem epistolarum, quarum meminit, cum Clemente confudisse, eique, quod alterius erat, adtribuisse? minime hoc a persona ejus, quam & in disputando solet, & in hoc libro gerit, foret alienum. Disputandi enim fervore, & vincendi flagrante studio abreptus, quod ei passim contigit, in ejusmodi, aut similes, sæpe incidit hallucinationes; imo pia aliquando fraude, ut pessime dici adsolet, nihil non ad supplantandum adversarium, sive verum sive falsum sit, adripit. Hoc eum disputasse animo, hac usum fuisse methodo, licet in Hieronymi scriptis versatum fugiat neminem, sistamus tamen ipsum in hac ipsa causa, quam contra Jovinianum egit, confitentem. Cum accusaretur in alterum extremum delapsus, & in nuptias iniquior, inter alia sese defendens dicit a, *aliud esse γυμναςικῶς scribere, aliud δογματικῶς; in priore vagam esse disputationem, & adversario respondentem nunc hæc nunc illa proponere; argumentari ut libet, aliud loqui aliud age-*

a In Apol. ad Pammachium p. 73.

agere; panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. Addit dein, *turpe non esse, hostem dolis ferire, non viribus.* Nec observasse abs re fuerit, eum *cursim & celeriter* dictasse [a] hanc refutationem, & alibi [b] fassum; *se non esse tantæ felicitatis, quantæ plerique hujus temporis tractatores, ut nugas meas, quando voluerim, emendare possim.* Dedit quoque præcipitantiæ haud unum specimen in libris contra Jovinianum; *Enoschum* & *Enochum* [c], *Judæ* epistolam & Librum *Judicum* [d], confundendo, ne alia proferam. Possem enim similia ex aliis ejus scriptis eristicis excitare; sed uno in rem aptissimo contentus ero, quo pro Barnaba posuit Ignatium in Dialogis adversus Pelagianos [e]: *Ignatius vir Apostolicus & martyr,* inquit, *scribit audacter, Elegit Dominus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant.* Quod in Ignatii epistolis nuspiam, in Barnaba mox in principio diserte occurrit, & inde ab Origene [f] jam prolatum est: uti optime nosti, qui & alia similia in promptu, vir amicissime, habes. Sed vide, num verba Domini ex *Euangelio secundum Aegyptios* ex Julio Cassiano apud *Clementem Alexandrinum* [g] memoria revolvens, & eadem in Epistolis Clementis Romani occurrere, uti vere exstant, recordatus, pro Cassiano non potuerit *Clementem Romanum* sumsisse, & hunc ad *Eunuchos* scripsisse dicere, cum Cassianus ibidem περὶ εὐνουχίας legatur scripsisse, & locum Jesajæ de *Eunucho non infrugifera arbore,* cujus Hieronymus meminit, etiam citaverit. Hujus-

[a] l. I. contra Jovin p. 24. [b] Ep. 58. ad Pamm. p. 81. [c] p. 23. [d] p. 24. [e] lib. III. in initio [f] Contra Cels. l. I. ad finem. [g] Strom. l. III. c. 13.

jusne viri, in ejusmodi ſcribendi genere, teſtimonio quis fidem adſtrinxerit?

§ IX. Sed eo non neceſſe eſt veniam, ut Hieronymi teſtimonium enervem: aliud ſupereſt, quo ipſum Clem. Rom. epiſtolam priorem, communiter receptam, intendere, & de ea dicere potuiſſe, *omnem pene ſermonem de virginitatis puritate contexuiſſe*, defendam. Etſi Clemens de caſtitate in genere, & virginali in ſpecie, quatuor aut quinque in locis tantum expreſſe loquatur; quæ Grabius *a* jam excerpſit, uti ſupra notavi: cum tamen ſæpe & paſſim *decentiam*, *moderationem*, *temperantiam* commendet, carnem & mundum ubique perſtringat; hæc & horum ſimilia ab hoc fervido diſputatore facile adripi potuerunt, & eum in hæc verba præcipitem agere, ut, Clementem in ea epiſt. omnem *pene ſermonem de virginitatis puritate contexuiſſe*, dicere auderet. Me hic nihil fingere, quisque, qui Hieronymum ex Apoſtorum epiſtolis pro virginitate diſputantem, & loca corradentem, in hoc libro contra Jovinianum legerit, facile obſervabit. Prolixum poſteaquam locorum catalogum texuit; ſubjungit adhuc *b*, *dies me deficeret*, *ſi voluero omnia caſtitatis de Apoſtolo præcepta memorare*. Potuiſſet itaque de Epiſtolis Paulinis eodem jure dicere, eum *omnem pene ſermonem de virginitatis puritate* contexuiſſe. Quis itaque ex tam imprudentis nec ſui compotis diſputatoris verbis de Clemente, eum epiſtolam ejus notiſſimam in oculis habuiſſe, ejusque argumentum violenter ad ſcopum detorſiſſe, negare auſit? quis hinc pro certo adfirmare, ei alias

a Spec. P. Sec. 1. p. 263. *b* lib. 1. p. 33.

alias, in specie controversas nostras, unice in mente esse debuisse?

§ X. Sed aliam aperire animus est viam, qua honori eruditi Patris consulitur simul, simul caussa, quam defendo, in clariore luce collocatur, &, Hieronymi testimonium pro hisce Epistolis nihil facere, adparebit illustrius. Docti Patris verba, quibus Clementem dicit ad spirituales & Euangelicos *eunuchos* scripsisse, *omnemque pene sermonem de virginitatis puritate contexuisse*, & alteram Clementis Epistolam, cujus fragmentum, sine capite & calce, tantum superest, attentius relegenti, plus quam probabile visum est, hanc ipsam epistolam ipsi in animo præcipue fuisse. Etsi enim *Epistolas* adpellavit, ad *unam* tamen in primis respicere potuit, cum quod hoc loquendi genus, exemplis etiam ex Patribus a Cotelerio [a] & Fabricio [b], qui & aliis ex auctoribus produxit, illustratum, non sit insolitum; minus in *rhetorico sermone*, quo in hoc libro & aliis utitur Hieronymus; tum quod *priorem* Clementis Epistolam non voluerit expresse exclusam, ut adversarium fortius obtunderet. Epiphanius quoque, loco modo exposito, *encyclicas* Epistolas Clementis laudans, in unam eandem, in quam Hieronymus, oculos maxime habuit defixos, quippe cui *encyclicæ* epitheton aptius conveniat: cum altera illa *Corinthiacæ* Ecclesiæ fuerit directe inscripta; adeoque leviore sensu *circularis*, quatenus ad alias Ecclesias quoque potuit missa esse, ut ubique legeretur; sicut Apostolorum epistolis compe-tit.

[a] Ad Polycarp. §. 3. [b] Cod. Apocr. N. T. t. 1. p. 915. & t. 11. p. 717.

tit. Nihil quoque impedit, quominus ad *castitatis* studiosos directa in specie statuatur Epistola *posterior* Clementis; modo argumentum faveat, de quo mox: quia nullam habet specialem inscriptionem, sed *fratres* in genere compellantur. Me quidem non latet, nonnullos, etiam Photium *a*, & hanc Epistolam ad Corinthios fuisse exaratam opinatos fuisse; sed quo fundamento, nescio? cum Eusebius *b* de eo nihil referat, sed, *aliam circumferri Clementis Epistolam*, simpliciter tradat: cui Hieronymus *c* ipse adstipulatur. Fortius stringeret, si, quod Beveregius alibi *d* contendit, Dionysius Corinthiorum Episcopus Sec. II. in Epistola ad Romanos apud Eusebium *e*, utriusque mentionem fecisset, alterius, quæ in Patribus Apostolicis Cotelerii *prior* est, nomine Epistolæ a Romana Ecclesia missæ ad Corinthios, *alterius*, quæ ibi posterior est, nomine Epistolæ per Clementem ad ad eosdem scriptæ. Sed quin erret Vir Doctiss., quod a Clar. Moyne *f* deinceps vidi occupatum, sed non satis adstructum, equidem non dubitaverim, *cum* quod Eusebius de una tantum Clementis Epistola manifeste intellexerit, *tum* quod falso tunc dixisset Eusebius, unam tantum Epistolam in Ecclesiis legi, alteram pro dubia haberi, non adhiberi solitam a Veteribus, ut supra vidimus; *tum* quod Dionysius diserte inter Epistolam Romanorum ad Corinthios, & eam per *Clementem* scriptam dis-

a Bibl. cod. 113. 126. *b* Hist. Eccles. l. III. c. 38. *c* de Vir. Ill. c. 15. *d* In codice Canonum vindicato l. II. c. 9. *e* Hist. Eccles. l. IV. c. 23. *f* Var. S. p. 2067.

distinguat; &, per *Clementem* dicens, clare indicet Romanorum per Clementem scriptam; quæ ipsissima est notissima illa Epistola in Patribus Apostolicis prior. Dubium itaque non est, quin per Romanorum Epistolam, ab ea per Clementem diversam, intelligat suo tempore a Romanis sub Sotere Episcopo exaratam; cujus etiam meminit Eusebius [a] in præcedentibus; & manifestum indicium est in eo, quod eam Romanorum epistolam nunc prima vice fuisse lectam in Ecclesia Corinthiaca, deinceps continuandam lectionem esse, innuat.

§ XI. Cum vero epistolæ Clementis ad Corinthios hoc monumentum, nomen Clementis quoque præferens, fuerit antiquitus adnexum, opinio de Epistola hac, ad Corinthios quoque scripta, hinc facile nasci, & in vulgus emanare potuit. Pondus nostræ sententiæ de Epistola non ad Corinthios scripta adderet haud leve, si Dodwelli [b] conjectura, fragmentum, quod habemus, non *Epistolæ*, sed διδαχῆς *institutionis* Clementinæ partem constituisse, & eum prætulisse conspectum, tam certa foret, quam probabilis. Quicquid sit, generalem fuisse vel *doctrinam*, vel *Epistolam*, nec ad certam aliquam Ecclesiam, & si ad eam, non solam, sed universalioris usus, ad alias quoque Ecclesias, uti inscriptio Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio Polycarpi habet, directam, suffecerit, adeo ut *circularem* adpellare Epiphanius, & Hieronymus, ad continentes & virgines quoque pertinuisse, adserere potuerit. Notari enim velim, Hieronymi verba non ne-

a Ib. l. II. c. 25. b Diss. Iren. I. § 29, 30.

neceſſario exigere, ad eos *ſolos* fuiſſe deſtinatam Clementis hanc epiſtolam, ut ipſe adpellat; ſed *etiam* ad eos ſpectaſſe; ita ut *&* *ad eos* cenſeri posſit Clemens ſcripſiſſe; ipſique, ad ſe quoque informationem Clementis pertinere, exiſtimare potuerint & debuerint.

§ XII. Verum enim vero, ſi eam Clementis Epiſtolam in animo habuerit, quam Clementi directe [a] adtribuit, qua ratione ſibi cenſebitur conſtare, qui alibi, eam *repudiari* a *Veteribus*, tradit. Græca quidem verſio habet, παρὰ πάντων ἀποδοκιμάζεται ſed, παλαιῶν, legi oportere, a Doctis jam eſt obſervatum. Poſſem quidem reſpondere, Hieronymum ſæpe aliter qua *diſputatorem*, aliter qua *hiſtoricum* & *doctorem* loqui, uti conſtat, & ſupra jam obſervavi; adeoque monumentum in diſputatione ad proterendum adverſarium citare potuiſſe, cui ipſe alias non multum fidebat. Poſſem & alia de Hieronymo proferre exempla, ſed unum ſuffecerit reſpectu hiſtoriæ *Theclæ*, quam in Script. Eccleſ. in *Thecla* reprobat, ſed alibi [b] adſumere videtur; niſi inter acta Theclæ ac Pauli, & inter ipſam Theclæ converſionem ſit diſtinguendum. Sed eo non eſt ut deveniam neceſſe; cum aliud, quo Hieronymus ſecum in concordiam redeat, ſuppetat. Sufficit enim 1. eum in libro de ſcript. Eccleſ. *Veterum*, non *ſuam* exponere mentem, 2. nec verbum *repudiari* ſtricto, verum molliore & laxiore ſenſu capi debere; non ac ſi ſcriptum hoc pro *ſpurio*, ſed *dubiæ* tantum autoritatis fuerit habitum. Euſebius [c] enim, quem ſequitur Hieronymus, nihil aliud habet, ac epiſtolam hanc non

per-

[a] Script. Eccleſ. cap. 15. [b] Ep. 22. ad Euſtoch. fin.
[c] H. E. l. III. c. 38.

perinde fuisse cognitam, quandoquidem vetustiores ea non fuisse usos scimus. Ipse quoque Eusebius [a] phrasi ἐν νόθοις in *spuriis*, cui ἀποδοκιμάζεσθαι fere respondet, nonnunquam eodem molliore sensu usus est pro *dubiæ* tantum auctoritatis; uti Valesius ad eum recte advertit. 3. Addatur, epistolam Clem., de qua loquimur, ab aliis veterum quoque fuisse adsumtam, & in Ecclesiis nonnullis lectam: uti ex ultimo canone Apostolico, & aliunde demonstrarunt Coterlerius [b], & Beveregius [c]. Epiphanius [d] utique, ex *una epistolarum* citans verba, quæ in *priore* occurrunt, *duas* agnoscere ad minimum videtur.

§ XIII. *Scopum* & *argumentum* Epistolæ, ut, quam apte verba Hieronymi, *omnem pene sermonem de virginitatis puritate contexuit*, in eam conveniant, manifestum faciam, his verbis expressit Photius [e] quæ præmittere visum est, ἡ δὲ δευτέρα, καὶ αὐτὴ νυθεσίαν καὶ παραίνεσιν κρείττονος εἰσάγει βίου, καὶ ἐν ἀρχῇ χριστὸν τὸν θεὸν κηρύσσει. *Secunda vero Epistola & ipsa informationem, sed* (sic verto καὶ, quia opponit hoc priori Epistolæ, quæ divinum de Christo titulum non habet, judice Photio) *admonitionem divinioris vitæ continet, & in principio Christum Deum prædicat.* In quibus verbis animadverti inprimis velim, phrasin κρείττονος βίου, non, ut solet, *melioris*, sed vel, *divinæ* aut *divinioris vitæ*, vertendam, ut feci: quem significatum vox κρείττων apud Græcos habet, quibus κρείττονες sunt θεοί, uti Hes. reddit. quod jam

[a] Ib. c. 25. coll. cap. 31. [b] In judicio ei præmisso [c] Cod. can. vind. l. c. [d] Hær. 27. § 6. [e] Bibl. cod. 126.

jam, ut nosti, observavit Vir. Clar., quo uterque gravisi sumus in hac lingua Doctore, bene de nobis merito, Cl. Bos [a]; licet res non sit ignota: vel *præstantioris*, sive dignitate sive utilitate: qui usus si placeat, quod forte tutius, cum Dii quidem κρείττονες, sed βίος κρεὶττων videri insolentior posset, vita præstantior non de communi Christianorum vivendi genere, sed excellentiore & utiliore capienda erit. Quemadmodum *dona* κρείττονα *præstantiora* adpellat Apostolus, 1 Cor. XII: 31. & qui *virginem* suam *non dat nuptum*, dicit 1 Cor. VII: 38., κρεῖσσον *melius* & *utilius* facit; & vidua ipsi mox vers. 40, quæ ita manet, audit μακαριωτέρα *felicior*. Quo ipso videmur manu quasi ad superiorem aliquem vitæ gradum duci, quem Veteres jam cito in virginali vel cœlibe vita constituerunt; quod Epiphanio [b] est βίῳ ἐξοχωτάτῳ ἄγεσθαι *excellentem vitæ rationem instituere*, & ἐν τάξει Αγγέλων in *ordine Angelorum*; Eusebio [c] vero, διὰ τὴν περὶ τὰ κρείττω σχολὴν ut *excellentioribus rebus vacent*; Clementi Alex. etiam *Dii* adpellantur, uti mox observabo: qui, de virginitate etiam loquens, inquit [d], ἡμεῖς εὐνουχίαν --- μακαρίζομεν *castitatem nos -- beatam prædicamus.* De quo post erit occasio dicendi. Ex quo, ni fallor, haud obscure patescit, auctorem hujus epistolæ vel doctrinæ, quisquis fuerit, non enim Clementem fuisse existimo, de quo forte etiam postea, præter *divinitatem* Christi præcipue intendisse

a Anim. ad Script. Gr. c. 15, 17. b Hær. LX Angelic. c dem. Eu. l. 1. c. 9 p. 32. d Str. l. III, p. 511.

diſſe de *virginitatis puritate*, uti Hieronymus inquit, *ſermonem contexere.*

§ XIV. Conſulamus nunc ipſam epiſtolam, & poſſitne hoc ex ejus argumento erui? diſpiciamus. De *divinitate* Chriſti res in aperto eſt; ab ea enim mox incipit: cui, ad ſcopum noſtrum nihil facienti, non immorabor. Sed brevi ſeſe ad *potioris* vitæ, ut Photius inquit, ſeu *diviniorts*, informationem totus vertit. *Virginitatem* quidem non adpellat, nec nude ac palam eam inculcat; verum, ut facilius in animos, nondum huic doctrinæ eo tempore adſuetos, irrepat, occultius & indirectius, *oblique a nuptiis avocans*, non *exſerte*, ut Tertulliani [a] phraſi, huc recte quadrante, utar, loquitur enim de tempore ante Montanum ſuum, & de eadem re. Quæ ipſa potuit eſſe ratio, quare Hieronymus ſcopum Epiſtolæ expoſuiſſe contentus, ea contra Jovinianum non amplius uſus fuerit; quia generales & ambiguæ erant phraſes, in alium etiam generalem ſenſum torquendæ. Sed proferamus nonnulla indicia, ex quibus iſta auctoris mens, quam dixi, pelluceat. Detegit autem ſcopum ſuum pedetentim, clarius ac clarius. 1. Primum indicium mihi in fin. capituli *quarti* deprehendiſſe videor: ubi, tanquam verba Domini noſtri, hæc profert. *Si fueritis* μετ᾽ ἐμȣ̃ συνηγμένοι ἐν τῷ κόλπῳ μȣ, *mecum congregati in ſinu meo*, *& non feceritis mandata mea, abjiciam vos, & dicam vobis: diſcedite a me, non novi vos, unde ſitis, operarii iniquitatis.* Vix dubitaverim, quin & hæc verba citaverit auctor ex *Euangelio ſecundum Aegyptios*, toto my-

[a] De monogam. c. 3.

mystico, & ad virginitatem commendandam adcommodato, quo ipsum postea manifeste fuisse usum mox adparebit: nusquam enim priora verba in Euangeliis nostris sese offerunt. Designant vero verba, *congregatum esse in sinu Christi*, intimiorem præ reliquis discipulis *familiaritatem* & amicam dilectionem, quali gavisus est Johannes Apostolus, de quo hæc phrasis adhibetur, Joh. XIII: 23. & uxor fruitur a marito, in *cujus sinu* cubare dicitur [a]; adeoque ad eos referenda est phrasis, qui præ reliquis Christo instar sponsæ puræ & castæ sponso suo soli, sine ulla cum aliquo conjunctione carnali, adhærescebant, & instar Johannis *virginis*, uti putabant veteres, *virgines* erant, & propterea arctiore cum Christo gaudebant commercio; sicut *Johannem*, qua talem, fuisse reliquis Apostolis, uxoratis quippe, prælatum, & ad arctissimam complexus Christi unionem admissum, crediderunt virginitatis patroni. Clemens in Epist. priore [b], a Cl. Wetstenio vulgata, de Johanne haud absimilem in modum loquitur: *rursus Johannes, qui cecidit super pectus Domini*, qui *dilexit eum valde, etiam sanctus fuit*; non *enim frustra dilexit eum Dominus*; quo ipso innuit auctor, virginitatis causa ipsum fuisse Domino in deliciis. Quod Hieronymus disertius exposuit; *& tamen*, dicens [c], *Johannes, unus ex discipulis, qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, & quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit*, & ideo *plus amatus a Domino*, & *recumbit super pectus Jesu*. Addamus, Hieronymum eodem sensu

a 2 Sam. XII: 3. Mich. VII: 5. Deut. XXVIII: 54.
b p. 5. c Adv. Jov. l. 1. p. 26.

ſenſu phraſi fuiſſe uſum, quaſi ad hunc, de quo agimus, locum reſpicientem; quum Chriſtum introducit loquentem inter alia in hæc verba [a]. *Mihi illi eunuchi placent, quas caſtravit non neceſſitas ſed voluntas. Libenter eos in meos ſinus recipio*, &c. quando mox Clementis, tanquam virginitatis præconis, mentionem injicit. Nec abhorrent verba, quæ Paulo in ore dantur in actis *Theclæ* [b], eodem ſpectantia, ex. gr. *beati continentes, quia ipſis loquetur Deus*, ſc. familiarius & in ſecreto, ſicut in ſinu ſuo recubantibus: rurſus [c]; *beati, qui baptismum purum ſervant, quia* ipſi ἀναπαύσονται *recumbentes recreabuntur apud Patrem, Filium & Spiritum S.* Addamus ipſius Athenagoræ [d] verba: *invenias multos ex noſtris*, dicit, *in utroque ſexu, qui cœlibes conſeneſcunt*, ἐλπίδι τοῦ μᾶλλον συνέσεσθαι τῷ θεῷ, *ſub ſpe ſe ſic conjunctiores fore Deo.* Concinit dictum apud Clementem Alexandrinum [e], ἀτὰρ ἐγὼ ἐμὲ λύσομαι τῆς ἐπιθυμίας διὰ τὴν πρὸς σὲ οἰκείωσιν, κύριε. *Sed ego me liberabo a cupiditate, ut mihi tecum intercedat conjunctio, Domine.* Quo etiam referri, ſi myſtice ſit capiendum, quod Cl. Moyne [f] præter alios placet, vel inde ortum fuiſſe cenſeri poſſet, Johannem, *virginem* habitum, & κατ' ἐξοχὴν adpellatum, in *ſanctuarium* dici intrare ſolitum, & πέταλον *laminam auream*, Pontificalem ſc., cui *ſanctum Domini* inſculptum erat, geſtaſſe [g]. Quod idem de Jacobo, qui & ἅγιος *ſanctus* ab *utero matris* dicitur, ac *virgo* manſiſſe, traditur apud Epiphanium [h].

§ XV.

[a] Ibid. p. 20. [b] Apud Grab. Sp. P. Sec. 1. p. 96. [c] Ibid. [d] Leg. pro Chriſt. p. 129. [e] Strom. l. IV. p. 631. [f] Var. S. p. 28. [g] Euſeb. H. E. l. III. c. 31. v. 24. [h] Hær. LXXVIII. p. 1046.

§ XV. 2. *Secundum* scopi Autoris signum sese mox sequente *capitulo* prodit, quo *deserere* τὴν παροικίαν τῦ κόσμυ τύτυ *ipsum hujus mundi incolatum*, & ἐξελθεῖν ἐκ τῦ κόσμυ τύτυ *egredi ex mundo hoc*, inculcat, eumque incolatum mox ἐπιδημίαν ἐν τῷ κόσμῳ τύτῳ τῆς σαρκὸς ταύτης *incolatum* in *mundo hoc hujus carnis* adpellat; quando injungit τὸ θείως *A*

ἢ

A MS. pro θείως habere ὁσίως *pie* & *sancte* observat & adprobat Davisius; cui pondus addit, quod cap. VI. sequente ὅσια καὶ δίκαια jungantur; & in ep. 1 Clem. § XXI. ὁσίως ἀναςρέφεσθαι, ac § XLVIII. ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ. At enim, cum idem Autor. ep. 1 §. VI. θείως πολιτένεσθαι *divinam ducere vitam* habeat, & noster, sic dictus Clemens, *mundana tanquam aliena reputare*, mox subjungat, θείως *divine* forte possit retineri. Adpellantur quoque ejusmodi *asceta* οἷά τινες θεοὶ *quasi quidam cælites*, *reliquorum hominum vitam despicientes*, apud Euseb. Dem. eu. l. 1. c. 8. Sic & Photius epist. 1. p. 39. τὴν ἀγαμίαν nuncupat θεῖον πράγμα καὶ ὑπερφυὲς *divinum quid* & *natura superius*. Clemens quoque Alex. Strom. l. II. p. 494. θεὺς *Deos* dicit adpellari τὺς ἡδονῆς κρείττονας *qui sunt voluptate superiores*. Chrysostomus τὴν ἰσάγγελον πολιτείαν *Angelis æquale institutum* oper. tom. 1. p. 284. qui & deinceps illud vivide depinxit p. 331. Quocum conferre lubens vellem sententiam apud Stobæum p. 487. *v.* 26. *mulier* κρατέυσα μὲν ἐπιθυμίης καὶ θυμῦ θέιη καὶ ἁρμονίη γίνεται *concupiscentia & ira superior divina & harmonica fit*; si per Cl., & communem nostrum amicum, L. C. Valckenaerium, qui mihi hunc locum monstravit, sed ὁσίη reponendum vult, liceret. Tu videas & judices, amicissime Wesselingi. Sed ὁσίως si placeat, intelligamus βίον ἀληθῶς θεοσεβῆ *vitam vere piam*, uti virginitatem nuncupat Eusebius l. c. Est quoque virginum proprium apud veteres epitheton, quod sint ἅγιαι τῷ σώματι καὶ τῷ πνεύματι, uti notum: sicut τὴν ἁγιωσύνην *sanctimoniam* absolute adpellat Chrysostomus oper. tom. 1. p. 284. nec mirum, cum ex peccato fuisse ipsum matrimonium

ἒ δικαίως ἀναςρέφεσθαι *divine* & *juste converſari*; nec non *mundana hæc tanquam* ἀλλότρια *aliena reputare*, utpote *viam ad requiem futuri regni* & *vitæ æternam: promiſſio Chriſti*, inquiens, *admirabilis* eſt, καὶ ἀνάπαυσις τῆς μελλέσης βασιλείας ἣ ζωῆς αἰώνιος. Sic enim pro αἰωνίε legendum eſſe, recte advertit Daviſius. Quæ cuncta, vero ſuo ſenſu ſumta, vitam pingunt cœleſtem & Angelicam, ab omni *ad mundum* & carnem relatione abſtractam, quemadmodum virginem nuncupat Chryſoſtomus, *a* ξένην τῶν ἐνταῦθα πραγμάτων, *ad quam res præſentes nihil pertinent:* qui & deinceps *b* adſerit, *virginitatem* eſſe *nuptiis* tanto præſtantiorem, quanto *cœlum terra*, & *hominibus Angeli*, vitam illam κρείττονα *præſtantiorem* & *divinam*; uti Photius expreſſit. Conferamus nunc, ut res illuſtrior fiat, acta *Theclæ: beati*, inquit Pſeudo-Paulus, οἱ ἀποταξάμενοι τῷ κόσμῳ τέτῳ *qui huic mundo renunciant: beati*, qui *habent uxores*, tanquam *non habentes* (ſtylo hujus autoris, *ſine ullo commercio carnali cum iis*, uti Tertullianus *c* hæc Pauli verba interpretatur, dicens, eum *in matrimonio adhuc poſitos a fructu matrimonii avocare*) *quia ipſi Angeli Dei fient*. Rurſus, paulo poſt; *beati*, *qui propter charitatem Chriſti* ἐξελθόντες τἒ σχήματος τἒ κόσμε *egrediuntur figura hujus mundi*; denique, *bea-*

nium ortum cenſuerit. De quo mox. Imo poſtea adſerit τὸ δὲ καὶ ἁγίες ἀποφαίνειν -- τῆς παρθενίας ἐςὶν *Sanctos vere præſtare* eſt *virginitatis opus* ibid. p. 290. Notum etiam eſt, ὅσιον emphatice adpellari virum Deo plane ſacratum, & ſacerdotem; uti apud LXX frequenter.

a Oper. tom. I. p. 263. nov. edit. *b* ib. p. 275.

c De Monog. c. XI. p. 532.

beata corpora & Spiritus virginum; quia placebunt Deo; nec perdent mercedem castitatis suæ --- ἀνάπαυσιν ἕξουσι εἰς αἰῶνα αἰῶνος *requiem habebunt in seculum seculi*.

§ XVI. 3. Eandem mentem duobus capitulis sequentibus clarius adhuc evolvit; non tantum, quod ad inimici hujus seculi mores referat, præter adulterium, etiam φθορὰν *corruptionem virginitatis*, quem usum hic & alibi omnino habet, sed inprimis, quod *a* baptismum velit, ut regnum cœlorum consequantur, servandum ἁγνὸν καὶ ἀμίαντον *castum & inmaculatum*, *b*. *certamen dicat incorruptum*, ἀγῶνα τὸν ἄφθαρτον, magno conatu instituendum, ut coronentur, incorruptæ scilicet virginitatis corona. Continentiæ enim proprium fere est, ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι *certamen quoddam suscipere*, & *vitam despicere*; ut Epiphanii *a* phrasis habet. Quo nihil apud Patres frequentius. *c*. addat, *si non omnes coronari possint*, saltem ἐγγὺς τοῦ στεφάνου *prope coronam sint*. Quod quid quæso aliud erit, quam conjugii legitimi præmium accipere, sed non *Coronam* virginitatis? De quo Veteres ubique loquuti sunt, Clemens quoque in priore ep. Wetsten. diserte. *d*. Notanda quoque sunt verba, quibus comparantur secum *corruptibilis* & *incorruptibilis certaminis corruptores*, *qui projiciuntur extra stadium*. Quo simili utitur Epiphanius *b*, illudque *ad virginitatem* adplicat, non sine adlusione forte ad hunc locum, *e*. denique verba quoque Domini, nusquam obvia, subjungat, τῶν μὴ τηρησάντων τὴν σφραγῖδα ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, κ. τ. λ. qui *sigillum suum non servaverint*, *vermis eorum non morietur*, &c. Quid est si-

a Hæres. Apostol. LXI. p. 508. *b* ibid. p. 512.

sigillum suum servare? idem, sine dubio, ac quod modo dixerat, *baptismum castum & immaculatum* servare; & in proxime præcedente, τὸν τῆς ἀφθαρσίας ἀγῶνα *incorruptibilitatis illud certamen* non *corrumpere*. Baptismum itaque adpellat *sigillum*, non communi tantum sensu, quo Christianismi est *tessera*, sed obligationis ad sublimius & angelicum vitæ institutum signaculum. A Cui robur addit, quod mox *sequenti capitulo* nomine Christi admoneat, ut *carnem castam*, ἢ τὴν σφραγῖδα ἄσπιλον *sigillum immaculatum conservent*, *ut vitam æternam* consequantur. Nec alio sensu Thecla a Paulo, de tentatione ejus ad violandam virginitatem solicito, dixit; μόνον δός μοι τὴν ἐν χριστῷ σφραγῖδα *da mihi signaculum duntaxat in Christo*, & *non tanget me ulla tentatio*; cui Paulus respondit, *patienter exspecta*, & *accipies donum Christi*; non *baptismum* solum, uti Grabius b exponit, sed Spiritum obsignationis, cum eo connexum, uti putabatur. Quo forte sensu virgo dicitur Epiphanio c desiderare σφραγίζεσθαι διὰ τὸ ἀβαρὲς, *signari ut onere sit levata*, & virginitatem facile agat. Pertinet enim illud omnino ad *virginem*; vocula ἐκ *non* loco mota

&

A. Omnes quidem, qui ad divinum lavacrum baptismi sanctificatione perveniunt, verba sunt Cyprian. ad virgines, de *habitu virg.* ad fin., *hominem illic veterem gratia lavacri salutaris exponunt & innovati Spiritu Sancto a sordibus contagionis antiquæ iterata nativitate purgantur. Sed nativitatis iteratæ vobis major Sanctitas & veritas competit, quibus desideria jam carnis & corporis nulla sunt.*

a Apud Grab. spic. P. sec. 1. p. 106. b in not. p. 333. c l. c. p. 509.

& cum præcedente jungenda; ut legatur: ἆρα γε καὶ ἐπὶ τὴν ἐκ οὖσαν παρθένον τὸ χάρισμα ἐφήπλωται τοῦ βαπτίσματος καὶ ἐπὶ τὴν οὖσαν παρθένον, ἥτις σφραγίζεσθαι ἐπείγεται διὰ τὸ αἰβαρές. Ex quo elucescit, *sigilli* voce respici cum ad rei pretiosæ conservationem, *sigillo impresso* futuram, tum ad militiam & certamen, cui milites, *signo* notati, consecrabantur; sicut ex Chrysostomo [a], ne alia excitem testimonia, patet: *quemadmodum enim militibus* σφραγὶς *signaculum* seu quædam nota, ita τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται *fidelibus spiritus quoque imponitur. Quo fit*, ita pergit, *ut si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias. Judæi enim habebant* σφραγῖδα τὴν περιτομὴν, *pro sigillo circumcisionem, nos vero* τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος *pignus spiritus.* Ceterum *baptismum*, & non *confirmationem*, postea demum introductam, aut *crucis* signum, hoc nomine apud veteres venire, a Viris Doctis [b] satis est demonstratum. Nec tamen Patribus, vere sic dictis Apostolicis, eo in usu hoc nomen venire putaverim. Primi, qui adhibuerunt, sunt Clemens noster & Hermas [c], quantum novi; uterque falsi autores. Conferamus alia adhuc dicta Pauli in actis Theclæ [d], plane similia: *beati qui carnem servant immaculatam in castitate*, ἁγνὴν τὴν σάρκα. *beati qui baptismum* καθαρὸν *purum servant, quia requiescent apud Patrem, Filium & Spiritum sanctum.* Demas quoque & Hermogenes ibi [e] sistuntur dicen-

a Hom. III. ad 2. ad Corinth. in fin. *b* Vid. Grab. ad Spic. P. p. 332. Beausobre hist. Manich. l. III. c. 6. p. 418. in not. ipse etiam Coteler. ad Const. Ap. l. II. c. 39. & Vales. ad Eus. H. E. l. III. c. 23. alii. *c* lib. III. §. 16. *d* Apud Grab. p. 96. *e* p. 100.

centes, *Paulum privare juvenes nuptiis*, & *virgines maritis*, dicentem, ἄλλως ἀνάστασις οὐκ ἔστιν, ἐὰν μὴ ἁγνοὶ μενεῖτε, καὶ τὴν σάρκα ὑμῶν μολύνετε; *alio modo non erit resurrectio, nisi casti perseveraveritis; nec carnem vestram pollueritis:* μὴ *non* enim excidit ante μολύνετε, nisi quis ex præced. supplendum velit.

§. XVII. 4. Qua eadem chorda oberrare pergit auctor, cap. VIII. quum ad vitam æternam, præter *mandatorum Domini observantiam*, requirit τὴν σάρκα ἁγνὴν *carnem castam servare*; & mox inter *magna* & *majora*, homini, non nisi in *parvo & minimo* fideli, danda & committenda, per *magna* intelligens, secundum Clem. Alex. *a*, *regnum coelorum ejusque justitiam*, per parva vero, τὰ περὶ τὸν βίον *quæ hujus vitæ sunt*, referat hanc ipsam *carnis castitatem* & *sigilli custodiam*; illudque tanquam *dictum Domini*, nusquam nisi in eodem forte *Euangelio* Apocrypho, obvium, quod Grabius *b* jam conjecit, citat. Quibus concinunt verba Pauli in actis Theclæ *c*, *beata corpora & Spiritus virginum, quia placebunt Deo*; nec *perdent mercedem castitatis suæ*; *quia sermo Patris* ἔργον αὐτοῖς γενήσεται σωτηρίας εἰς ἡμέραν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ *operabitur eis salutem* in *die Filii ejus*. *& requiem habebunt in seculum seculi*. *A* Nec alio spe-

a Str. l. IV. p. 488. *b* Ad Iren. p. 193. *c* p. 97.

A Torsit me aliquandiu hic locus & varia tentavi, etiam pro ἔργον leg. αἴτιον: sed perspexi tandem, sensum esse, *verbum Patris*, de resurrectione scilicet & vita æterna, Sanctis & castis promissa, suo tempore *effectum* habiturum; quando ὁ λόγος fiet ἔργον seu dictum *factum*, ut dicitur. Quod loquendi genus non est Patribus inusitatum. Sic Clem. Alex. Str. l. V. p. 707. Mosen dicit verbis, *dixit Deus & factum*

ſpectat *reſurrectionis carnis* mentio & defenſio contra hæreticos, eam negantes; quam ut *carnis caſtitati* patrocinaretur; uti monitum, inde ductum cap. IX., edocet; *decet igitur nos* ὡς ναὸν θεῦ φυλάσσειν τὴν σάρκα *carnem tanquam Templum Dei cuſtodire.* Quibus verbis plane reſpondet dictum Pauli in actis Theclæ [a], *beati, qui carnem caſtam ſervant, quoniam Templa Dei erunt.* Quo etiam pertinet, Paulum ibidem [b] dici docere, non *fore alias reſurrectionem* niſi *caſti maneatis, & carnem veſtram non inquinetis.* Hæretici vero, ut conjugia defenderent, tenebant [c], *reſurrectionem*, quam Paulus promittebat, jam factam eſſe cum in *liberis*, qui procreantur, tum in *agnitione* Dei, reſurrectione vera & ſpirituali. *Docebimus*, inquiunt, ὅτι ἣν λέγει ὗτος ἀνάςασιν γενέσθαι, ἤδη γεγονεν ἐφ᾽ οἷς ἔχομεν τέκνοις, ϗ ἀνέςημεν θεὸν ἐπιγνόντες.

§ XVIII. 5. Pergit autor cap. x. in eandem mentem diſſuadere voluptates carnales ex noxiis earum effectis, eosque, qui eas ſectantur, deliciarum ſpiritualium plane eſſe expertes tradit; ſimul falſos doctores voluptatis ſuaſores perſtringit, tanquam remiſſarum animarum corruptores, & propterea gravius puniendos. Quæ ut eluceſcant, verba auctoris ſunt relegenda, & hic illic a mendis purganda. 1. Cum virtutis ſtudium & vitii odium ac

ctum eſt, declaraſſe τὸν λόγον τῦ θεῦ ἔργον *verbum Dei eſſe opus.* Quem locum recte expoſuit, & aliis exemplis ſimilibus illuſtravit, Croius in N. T. cap. 21. Ceterum rectius flueret oratio, ſi pro poſteriore ὅτι legatur ὅτε *quum* vel *quando*; uti facile cernitur. Quæ voculæ ſubinde permiſcentur a Librariis.

[a] p. 96. [b] p. 100. [c] Ib. p. 101.

ac ſugam commendaſſet, ad ſupplicia, pravitatis pediſſequa, effugienda; ita pergit: *& fugiamus* τὴν ἀσελγέιαν (ſic enim leg. & non ἀσέβειαν, ut præced. & ſequentia oſtendunt, *laſciviam) ne nos mala comprehendant*; quæ qualia ſint ex oppoſito mox exponit; quum dicit: *ſi enim ſtuduerimus* ἀγαθοποιεῖν *præclara agere*, & *pulchra*, *laſciviæ* oppoſita, *conſectabitur nos pax*; cujus contrarium experientur, qui laſcivi & impudici vixerint. Quod his verbis diſerte tradit: *propter hanc enim cauſam* (ſc. modo memoratam *laſciviam*, & præclari operis neglectum ſtudium; uti διὰ τοῦτο *propterea nobis hæc facientibus dixit Dominus* § IV.) οὐκ ἔστιν εὑρεῖν ἄνθρωπον *non eſt invenire hominem*; quæ nullum habent ſenſum; ut recte vidit Daviſius, ſed minus feliciter emendavit; lege, ſi placet, mecum, οὐκ ἔστιν εἰρήνη ἀνθρώπῳ, vel ἀνθρώποις, *non eſt pax homini*, vel *hominibus*, voluptates ſcilicet carnales avide imbibentibus, nec bona facientibus; ſecus ac pudicis & piis, quos, ut modo dixerat, *pax* conſectaretur. Quam facile vero ex εἰρήνη ἀνθρ. oriri potuerit εὑρεῖν ἀνθ. in oculos incurrit. 2. Eandem materiam perſecutus, laſcivos illos, delicias hujus ævi captantes præ futuris promiſſis, ignorare declarat illarum cruciatus, & harum puritatem ac magnitudinem, his verbis: οἵτινες γὰρ ἄγουσι φόβους ἀνθρωπίνους, προῃρημένοι μᾶλλον τὴν ἐνθάδε ἀπόλαυσιν, ἢ τὴν μέλλουσαν ἐπαγγελίαν: Ἀγνοοῦσιν γὰρ ἡλίκην ἔχει βάσανον ἡ ἐνθάδε ἀπόλαυσις, καὶ οἵαν τρυφὴν ἔχει ἡ μέλλουσα ἐπαγγελία. Quæ verba a prono non fluunt alveo; cum voces, *qui enim humanos timores ducunt*, *præponentes voluptatem præſentem futuræ repromiſſioni*, ſententiam non abſolvant, ut facile cernitur: deleatur itaque major

distinctio ante ἀγνοῦσιν, & tollatur γάρ, quæ vocula ex superiore irrepsit, oratio apte cohærebit, & plena erit; hac ratione: *qui enim humanos timores ducunt, præferentes præsentem voluptatem futuræ promissioni, ignorant, quantum tormentum habeat hujus seculi usus, & quales habeat delicias futura promissio.* Quæ sese facile, ut exputo, Tibi adprobabunt. Præterea *b.* laborant adhuc alio mendo, in vocibus φόβους ἀνθρωπίνους *timores humanos*: quid enim *agere timores*, ἄγειν φόβους, quid *humanos timores* agere sibi volunt? quid huc faciunt? cum de hujus & futuri seculi deliciis unice fiat sermo. Nihil mihi scopo & seriei orationis occurrit aptius, quam ut pro φόβους reponatur ἀφόβως βίους, ut sermo sit de iis, qui sine ullo scrupulo aut *metu*, secure (ita ἀφόβως in Epist. Jud. 12) *ducunt vitas humanas*, seu instituta & mores hominum sectantur, delicias hujus seculi unice captantes, & futuris promissis præferentes. *Ducere vitam* sicut recte dicitur, ita *vitæ humanæ*, seu hominum, apte pro institutis & moribus seculi sumuntur, opposite inprimis ad vitam angelicam & coelestem, vitam potiorem & præstantiorem, quam hic inculcat auctor. *Vitarum* vero nomine instituta & mores recte insigniri, notissimum est vel ex Luciani libro, βίων πρᾶσις *vitarum* auctio. *Vitæ humanæ* itaque instituta hominum vulgaria & communia denotant, opposite ad *vitas sanctorum*, & in primis Deo sacrorum hominum, qui vitæ morem instituunt ὑπερφυῆ ϗ τῆς κοινῆς ϗ ἀνθρωπίνης πολιτείας ἐπέκεινα, *naturam nostram & communem hominum vivendi rationem excedentem*, uti Eusebius *a* loquitur: qui & mox τῶν

πολ-

a Dem. Eu. l. 1. c. 8.

πολλῶν βίον *multorum consuetudinem* adpellat, quam auctor noster βίους ἀνθρωπίνους; sic & Athanasius [a], τὴν ὑπερ τὸν νόμον παρθενίαν *legem excedentem virginitatem*. Ita & ἄνδρας βιωτικοὺς *viros vitæ negotiis deditos, uxores habentes & liberos*, nuncupat Theophylactus [b], qui addit, eos *sanctos* vocari, *quales nunc in montibus & sylvis* non *inveniuntur*. Chrysostomus [c] quoque κοσμικὸν & μοναχὸν opponit; nec non alibi [d] τοὺς ἐν τῷ βίῳ ἐξεταζομένους *qui in seculo vivunt* & *monasticæ* vitæ sectatores. Quo etiam facit, βίον *seculum*, & βιοῦν *secularem vitam degere*, & βιωτικοὺς *seculares* denotare apud Scriptores Ecclesiasticos, opposite ad *adscetas* & *Monachos* ac Clericos: uti Docti Viri, Petavius [e] & Valesius [f], dudum observarunt. Quibus addo, quod generosæ mulieres, a Thecla edoctæ, ἀπετάξαντο τῷ βίῳ, ϗ συνήσκουν αὐτῇ *seculo renunciarunt*, & *asceticam vitam cum ea inierunt*, secundum acta [g] Theclæ, & Athanasius [h] nuptias ornet titulo viæ βιωτικῆς, virginitatem vero ἀγγελικῆς. Quo itaque sensu si & hic *vitas humanas* acceperis, auctoris scopus & mens de vita *præcellentiore*, quam laudat, sese facile prodet. Quo sequentia quoque clare tendunt; illa etiam, quæ de falsis doctoribus deinceps subjungit; quos pravas suas doctrinas dicit in specie imbuere τὰς ἀνέτους ψυχὰς *dissolutas animas*. Sic enim legendum pro ἀνετίους, quæ vox nihili est, censuerim. Ecclesiastici quippe sæpe memorant ἄνετον & ἀπολαυστικὸν & διαλελυμένον ad disso-

lu-

a De Incarn. verbi p. 105. *b* Ad Eph. 1: 1. *c* Ad Ep. ad Hebr. hom. x. Oper nov. Ed. tom. XII. p. 198. *d* De pœnit. & orat. hom. IV. oper. t. II. p. 306. *e* Exercit. Misc. c. 5. *f* Ad Eus. H. E. l. VI. c. 3. *g* p. 116. *h* ep. ad Amun. oper. t. II. p. 960.

lutiorem, minusque firmum animum exprimendum: uti constat. Chrysostomus [a] quoque minus firmos ad virginitatem tuendam nuncupat ἀσθενέστερον διακειμένους *imbecilliores*, & mox διακεχυμένην ψυχὴν *diffluentem animam habentes*. Quales Doctores, qui sese Paulo, castitatis præconi, opposuerunt, in *actis* [b] Theclæ diserte nuncupantur Demas & Hermogenes, nuptiarum & voluptatum magistri, *resurrectionem* in liberorum procreatione quærentes.

§. XIX. 6. Ordo nos tandem deduxit ad ultimum, quod de hac epistola restat, capitulum, tam clarum & aptum in rem, quam ago, ut Doct s nonnullis, Cotelerio [c] Colomesio [d] post Wendelinum, & Grabio [e], oculos aperuerit, qui, verba Domini, a Clemente citata ex Euangelio secundum Aegyptios, uti mox adparebit, ad *virginitatem* laudandam omnia spectare, viderunt, simul Clementem *in iis, quæ desiderantur istius Epistolæ*, de *virginitate disseruisse non paucis*, eoque respexisse Hieronymum, observarunt. Quod ut manifestius adpareat 1. tanquam indubium adsumo, verba, quæ hic Domino nostro tribuuntur, ex *Euangelio secundum Aegyptios* esse desumta, de quo Clemens Alex. [f] nos dubitare non sinit. 2. Sicut reliqua ejus Euangelii fragmenta, quæ Grabius [g] studiose collegit, ita & hoc, cujus Clemens noster mentionem injicit, ad continentiam & virginitatem commendandam, sive directe sive indirecte, præcipue tendere, cuique ex ipsa lectione in oculos incurrit. De quo & illud testatur, quod *Julius Cassianus*, Va-

[a] Oper. t. 1. p. 284. [b] p. 100. [c] ad Clem. fin. [d] Ibid. [e] Spic. P. Sec. 1. p. 264. [f] Strom. l. III. c. 13. [g] Spic. P. p. 35.

Valentini discipulus, ὁ τῆς δοκήσεως ἐξάρχων *sectæ Docetarum princeps*, teste Clemente Alex. *a*, in opere περὶ ἐγκρατείας ἢ περὶ εὐνουχίας *de continentia* vel *Eunuchismo*, usus fuerit in primis hoc euangelio, ut opinionem suam, quæ Docetarum fuit omnium, de *carne*, tanquam sede peccati, omni modo subigenda, & commercio omni carnali, adeoque conjugio etiam, fugiendo, stabiliret. Nec a probabili abhorret, Veteres, licet a principiis Docetarum in aliis alienos, & per hoc Euangelium, cujus in Aegypto & alibi in Oriente non erat nulla antiquis temporibus autoritas, uti ex hoc ipso nostri Clementis scripto & aliis indiciis clarescit, & per opinionem de concupiscentia prava in carne residente, & per alias rationes, de quibus hic non est agendi locus, fuisse in tantum continentiæ studium cito abreptos; ut ei summum perfectionis gradum adscripserint.

§. XX. Fragmentum, a Clemente citatum, ut de eo aliquid moneam, licet alio vertat Clemens Alex., nimis subtili & contorta usus interpretatione, apud ipsum legenda, nimis clare *virginitatem* intendit, quam ut negari possit. Rogatus Dominus *a quodam*, dicit Clemens noster, rectius *a quadam*, fuit enim, ut ex Clem. Alex. patet, *Salome*, *quando veniret regnum ejus*, respondit, *cum duo erunt unum*, & *quod foris*, ut *quod intus*, ἢ τὸ ἄρσεν μετὰ τῆς θηλείας, οὔτε ἄρσεν οὔτε θῆλυ & *masculum cum femina*, *neque mas neque femina*: quæ in omnis commercii carnalis maris cum femina cessationem, & castam ac continentem utriusque sexus conversationem, qualem deinceps adpellarunt *fratrum* & *sororum*, cujus levia forte vestigia jam in Herma

a l. c.

Pastore offenduntur, de quo postea, clare exeunt. At clarius adhuc sese manifestabunt, quum verba, quæ hic desiderantur, sed apud Clem. Alex. exstant, ad animum revocentur, quæ ita habent: ὅταν τὸ τῆς αἰσχύνης ἔνδυμα πατήσετε *quando pudoris indumentum conculcaveritis*, & *quum duo fuerint unum* &c. *Pudoris* vero *indumentum* sensu saniore est, quo *nuditas* post lapsum protoplastorum, & concupiscentiam pravam libidinosam, quæ pudorem adfert, in membris residentem, inde ortam, obtegi coepit; uti ex Gen. III. constat: quod *indumentum*, pudoris causa introductum, *conculcatur*, cum, *castitate* & animum & corpus penitus obsidente virginea, eo amplius non erit opus; sed & *quod foris* ut *quod intus*, & *masculum cum femina neque mas neque femina* fuerit.

§. XXI. Sed Veteres nonnulli ipsum quoque usum conjugalem & adpetitum, ex peccato fuisse ortum, nec in Paradiso, sed extra illum, demum locum invenisse, censuerunt, nec adpellare veriti sunt legitimum matrimonium τὸ θνητὸν τοῦτο & δουλικὸν ἱμάτιον *mortale hoc & servum indumentum*; uti Chrysostomus[a]; qui & mox τὴν ἡδονῆς ξύλον *arborem voluptatis* memorat. Nec ejus fuit hæc priva opinio, verum & aliorum in utroque orbe Christiano: uti ex Joh. Damasceno[b], & aliis a Doctissimo ejus editore le Quin[c] adductis, inter Græcos, & Hieronymo, Augustino, ac aliis manifestum est. Hieronymus[d] virginem alibi in hæc verba introducit loquentem; *annon flendum est, cum me rursus serpens*

pens

[a] De Virginitate op. t. I. p. 279. [b] Fid. Orth. l. II. p. 200. & l. IV. p. 295. [c] In not. ad priorem eum [d] Ad Eustochium p. 91.

pens invitat ad illicitos cibos? cum de paradiso virginitatis ejectum tunicis vult vestire pelliceis; quas Helias ad Paradisum rediens projecit in terram. Augustini & aliorum testimonia exhibuit jam Cl. Beausobre [a], quæ non repetam. Sed quin unum ex Justino M. excitem non possum, ut antiquiorem longe fuisse eam doctrinam demonstrem, simul verum ejus sensum exponam. Adpellat Justinus [b] usum conjugalem ἄνομον γάμον *connubium lege non imperatum*, sed *indifferens* ex interpretatione Grabii [c]; sicut ἄνομος audit, qui lege non tenetur Mosaica, & ἄνομον Hes. τὸ μὴ ὑποκείμενον νόμῳ. Verum, ut menti Justini per omnia conveniat, haud una de ratione vereor: videtur enim concubitum non tantum legi nulli obnoxium, sed & perfectæ puritati ac integritati minus congruum, adeoque ex peccato ortum, & ab illo vix separabilem, intellexisse. 1. Quia non simpliciter ἄνομον, sed δι' ἐπιθυμίας *per* vel *propter concupiscentiam* ἄνομον, vocibus illis junctis, *legi*, quæ omnem vetat *concupiscentiam*, minus congruam *conjunctionem conjugalem* declarat, opposite ad ἔννομον χρῆσιν, uti longe rectius Athanasius [d] adpellat. 2. Quia mox γέννησιν ἐπιθυμίας ἀνόμου *generationem iniquæ concupiscentiæ*, ut ipse Grabius vertit, exponit. 3. Quia Christum ex Virgine tradit esse natum, ut demonstraret, Deo possibilem esse hominis formationem, δίχα συνουσίας ἀνθρωπίνης *sine humana consuetudine*; haud obscure ad opinionem, quam Veteribus nonnullis adrisisse observavit Cl. Beausobre [e], Deum, si homo non defecisset, alio modo humanum genus propagaturum fuisse, digitum intendens. 4. De-

 ni-

[a] Hist. Manich. l. VII. c. 3. [b] apud Grab. Spic. P. Sec. II. p. 18. [c] Ib. p. 247. [d] Ep. ad Ammunem oper. t. II. p. 960. [e] l. c.

nique, quia uſum conjugalem videtur φθορὰν *corruptelam* adpellaſſe; non ſolum quod Tatiano, diſcipulo ejus, id diſerte adtribuat Irenæus *a*, ſed &, quod *continentes* Chriſtiani ipſi Juſtino *b* dicantur ἄφθοροι *incorrupti*. Hiſce ſcriptis incidi in Cl. Barbeyraci tractatum de *Morali Patrum* doctrina; eumque Juſtini *c* locum in eandem intellexiſſe mentem lætus obſervavi. Qui & eodem in tractatu *d*, Patrum ſententiam de ipſo adpetitu conjugali, aliquid de vitioſitate trahente, in lucem protulit.

§. XXII. Verum ſenſu adhuc deteriore, qui Docetis maxime placuit, & nonnullos Patres *A* etiam infecit, *pudoris indumentum* eſt ipſum hoc corpus noſtrum, in locum ſpiritualioris corporis, quo homo ante lapſum in Paradiſo gaviſus ſuit, ſuffectum. Quod itaque *conculcatur*, cum in ſervitutem redigitur, & uſu carnali omni privatur, donec plane abjiciatur in morte, nunquam *reſuſcitandum*. Poſteriore hocce ſenſu Docetæ intellexerunt, qui opinionem de craſſo corpore ex lapſu demum orto, ad exemplum Philoſophorum nonnullorum & Judæorum tenuerunt, uti Eruditus ille Manichæiſmi enarrator, Beauſobre *e*, recte obſervavit.

§. XXIII.

A Sic Gregor. Naz. orat. XXXVIII: p. 619. & XLII. p. 681. *pelliceas tunicas* induit, *fortaſſis* τὴν παχυτέραν σάρκα καὶ θνητὴν, καὶ ἀντίθυπον *carnem craſſiorem* & *mortalem* & *ſolidam*. Joh. Damaſcen. quoque fid. Orth. l. III. p. 203. hominem dixit poſt lapſum περιβληθέντα τὴν νέκρωσιν ἤτοι τὴν θνητότητα καὶ παχύτητα τῆς σαρκός; τῦτο γὰρ ἡ τῶν δερμάτων ἀμφίασις, *mortalitatis carniſque craſſioris coopertum, ut mortuarum pellium veſtitu deſignatum fuit*.

a Adv. Hær. l. I. c. 28. *b* Apol. I. p. 28. ed. Grab. *c* Moral. des Peres. c. II. p. 17. *d* cap. IV. *e* Hiſt. Manich. l. IV. c. 9. p. 135.

§. XXIII. 3. Cum vero auctor Epistolae, Clementis nomine insignitus, verba, quae citavit, respectu duorum dictorum, ab ipso explicita, simpliciter, & sine longe quaesita allegoria intellexerit; *duo unum* de veracitate, *extus sicut intus* de animi puritate in pulchris per corpus operibus conspicua: dubium non est, quin ultimum membrum, *masculum cum femina*, *neque mas*, *neque femina*, de continentia & casta virginitate, quo sponte sua tendit, acceperit; adeoque eo scopo in medium adduxerit, ut *adventum* Christi haud longe esse remotum, continentiae studio magis magisque invalescente, evinceret; omnesque veros Christianos, hac exspectatione sese lactantes, ad castitatem magis permoveret, ut *partim* illud regnum in se anticipent, &, ut verbis Cypriani *a*, de hoc ipso agentis, utar, *quod futuri sunt jam esse incipiant*, *resurrectionis gloriam in isto seculo jam tenent*; a quo parum abest, quod Justinus *b* M. alibi habet; *partim* regno Christi, jam jam adventanti, sese aptos gerant, paratosque ad illud recipiendum. Quae ipsa ratio, a seculo ad finem vergente sub Oeconomia Christi petita, ab Eusebio *c* profertur, quare sancti sub V. T. liberorum procreationi operam dabant, Christiani vero perfectiores ab ea abstineant; nec non, ut alios mittam, eo antiquiore Tertulliano *d*, qui *nunc non esse locum* dicit *vocis illius*, crescite & multiplicamini, *sed aliam supervenisse*, tempus jam in collecto est: ad dictum Pauli 1 Cor.

VII:

a De hab. Virg. p. 180. ed. nov. *b* Apud Grab. Sp. P. Sec. II. p. 181. *c* Dem. Eu. I. p. 31. *d* Exhort. cast. c. 6.

VII: 29. respiciens. Præmisit enim Clemens his verbis monitum, eo haud obscure tendens, *igitur in horas regnum Dei exspectemus*, ἐν ἀγάπῃ ϗ δικαιοσύνῃ *in dilectione* & *justitia*; quippe quæ duæ virtutes in eo regno maxime futuræ sint conspicuæ, & per earum exercitium homo ad illud præparetur, imo illud anticipet. Sicut autem ad *justitiam* in primis pertinet *veracitas* & *bonorum operum* sincerum studium & exercitium, quo duo priora Christi scita retulit; ita *dilectionem* ad utriusque sexus castam & virgineam conjunctionem, qualis *fratrum est* & *sororum*, retulisse mihi videtur. Dilectio ἀγάπη, absolute posita, & Deum in Christo, & proximum pro objecto habet, quæ φιλόθεος & φιλάνθρωπος ἀγάπη adpellatur a Macario Alexandrino; dicitque I. *amorem*, quo Deo & Christo in Spiritu *castam carnem*, ut supra dixerat, ac *puram animam*, consecramus, & nos tanquam *sponsam* ejus *corpore* & *spiritu* sanctos præstamus. Intelligitur itaque ἀγάπη *charitas*, quæ κολλᾷ ἡμᾶς τῷ θεῷ *adglutinat nos Deo*, uti Clemens Rom. *a* loquitur. *Beati*, dicit Pseudo-Paulus in actis Theclæ, *qui* δι' ἀγάπην χριϛȣ̃ *propter charitatem Christi figuram mundi relinquunt*, &c. Qui enim τὸν ἔρωτα τὸν θεῖον *amorem illum divinum suscipit*, inquit Theodoretus *b*, *terrena simul omnia spernit*, πατεῖ δὲ ἁπάσας τὰς τȣ̃ σώματος ἡδονὰς *voluptatesque omnes corporis calcat*. Est quoque ἡ ἐυνȣχία ἐνάρετον *castitas bonum*, inquit Clem. Alex. *c*, *si fiat* δι' ἀγάπην τὴν πρὸς τὸν θεὸν, *propter charitatem Dei*. Qualis κατ' ἐξοχὴν solet adpellari ἐραϛὴς τȣ̃ θεȣ̃ *amator Dei*, uti est apud Basilium

a Ep. I. §. 49. *b* Orat. de charitate oper. t. IV. *c* Strom. l. III. p. 534. 538.

lium M. [a] Adde, Theclam dici, in *actis* ejus [b], Paulum audivisse περὶ ἀγάπης de *charitate* & *fide in Christum* & *precatione* disserentem. 2. *Amorem fraternum*, quo sancte & caste, carnali concupiscentia deposita, nobiscum invicem sine sexus discrimine conversamur, ita ut *masculum cum femina neque mas neque femina*. Quæ vita cum inter Christianos vim obtinuerit, tum regnum Christi in omni suo vigore adparebit, secundum dicta hujus euangelii. Capiamus exemplum ex Herma pastore [c], quum ei triumphans Ecclesia repræsentaretur; cui virgines dixerunt, *nobiscum dormies ut frater, non ut maritus: frater enim noster es, & de cætero tecum habitare paratæ sumus; valde enim carum te habemus.* Nec abhorret, convivium Christianorum, utriusque sexus, in mutuæ communionis signum, fuisse ἀγάπην nuncupatum, etiam in actis Theclæ; & συνεισάκτȣς quoque ἀγαπητὰς & ἀγαπητȣ̀ς, *sororum* & *fratrum* instar cohabitantes, uti prætendebant.

§. XXIV. Ceterum cum Clemens alia dicta fuerit interpretatus, & ultimo dicto quoque subjunctum exstet τȣ̃το; nonnulla non tantum deficere, sed & eo, quæ desunt, respexisse, ut ultima illa verba ad virginitatem pertinentia explicentur, dubio caret. Nec a scopo autoris alienum est existimare, eum in hoc argumento paulo longiores traxisse moras; *omnemque sermonem* porro *de virginitatis puritate*, quod Hieronymus dixit, *contexuisse*: quod Viri Docti, supra citati, jam conjecerunt. Sed sive

a Præf. ad Const. Mon. op. t. II. p. 534. ed nov.
b p. 97. c lib. III. sim. IX. §. 21.

ſive parum ſive multum de eo diſſeruerit Clemens, de quo nihil adfirmari poteſt: ex ſupra diſputatis de ſcopo & argumento hujus libelli abunde, ni fallor, Hieronymo hanc epiſt. in animo eſſe potuiſſe, conſtat. Quod ſi enim alicui hypotheſis noſtra de ſcopo & mente autoris minus adrideat; ea tamen, quæ in medium adtuli, talia eſſe, inficias forte non iverit, quæ Hieronymum in eam ſententiam trahere potuerunt, ut Epiſtolam ad eunuchos fuiſſe ſcriptam, & in virginitatis puritate verſari pene totam, exiſtimaverit, adeo ut, quod de Pauli Oratione in domo Oneſiphori, in actis Theclæ *a*, & de hac Epiſtola dici potuerit ex mente Hieronymi; fuit ὁ λόγος Θεȣ͂ περὶ ἐγκρατείας ꞓ ἀναςάσεως, *de continentia & reſurrectione Sermo Dei prædicatus*. Eſt utique magna inter hanc Epiſtolam & doctrinam Pauli in illis actis adfinitas. Agitur utrobique de *continentia* & *reſurrectione*, & divinitas quoque Chriſti aperte docetur; ac iidem rejiciuntur hæretici; eædem aliquando adhibentur phraſes; uti ex ſuperioribus conſtat. Quod cauſæ, quam defendo, abunde ſufficit. Tu, amicorum optime, arbiter ſedeas, & ex æquo ac juſto, ſepoſita amici perſona, pronuncies. Dabis tamen facile, ſi diſputata aliquid valeant, ingens hiſce Epiſtolis per Veterum ſilentium creari præjudicium. Noſti enim, Vir Cl., quanti *negativum*, ut dicitur, argumentum in ejusmodi rebus valeat, quantique ſemper a Veteribus, ad antiquiorum teſtimonia provocare, quum de ſcripto *genuino* an *ſpurio*? agebatur, ſolitis, fuerit habitum: de quo plura proferre nihil adtinet. Liceat itaque unius Hypa-

a p. 95

patii, Ephesini Episcopi Sec. VI., verba *a*, quibus Dionysii Areopagitæ notissima scripta, de quibus tunc controvertebatur, repudiavit, mea facere, & in iis desinere: *si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio.* Quæ nunc majorem habent vim, cum ne quidem postea ullus harum meminerit Epistolarum, tantum abest, ut iis fuissent usi.

§. XXV. Nihil habeo, quod in præsentia addam, nisi illud unum, harum Epistolarum nullam quoque mentionem fieri apud Syros, quantum mihi constat; licet lingua Syriaca, sive originaliter, sive ex versione, exstent. Utique nec in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum Ebedjesu, Episcopi Sobensis, qui Sec. XIII. & XIV. vixit, inter opera Clementis Romani, quæ recenset *b*, comparent; nec Abulbarcatus *c*, presbyter Ægyptius, qui, Ebedjesum imitatus, catalogum scriptorum composuit in libro de *officiis Divinis*; licet duas Clementis Epistolas vulgatissimas illas memoret, de nostris aliquid habet; uti nec Dionysius Bar-salibi *d*, Jacobita circa finem Sec. XII; qui tamen Clementis citat epistolam *adversus eos, qui matrimonium rejiciunt*; quod ipse Cl. Wetstenius ex Assemanno non neglexit notare; nec denique Gregorius Barhebræus, alias Abulpharagius, Primas orientis, & Jacobitarum scriptorum princeps sec. XIII. Clementis sic dicta scripta memorans *e*, Epistolarum meminit. Huic tam alto silentio adde, quod *dubi-*

a In collatione Severianorum & Catholicorum apud Baron. ann. 532. *b* Apud Asseman. Bibl. Orient. tom. III. p. 13. *c* Ibid. p. 14. *d* Ibid. t. II. p. 258 *e* Ibid. p. 301.

bium meum haud parum corroborat, *cum*, Monophysitis & Jacobitis fuisse in more positum, & Liturgica & alia opera Theologica Viris Apostolicis & antiquis Patribus inscribere, quæ ab aliis erant composita; uti a viris Doctis [a] dudum observatum est; *tum* Epistolas, quas eruditus Wetstenius edidit, fuisse adnexas recentissimo MS. V. & N. T. Syr. Sec. xv. & xvi. uti ipse, pro solito suo candore, non neglexit adnotare. Quantum hoc a Clementis Epistola ad Corinth. distat! quæ superiore quidem seculo demum in publicam prodiit lucem, a Cyrillo Lucari huc missa, sed & Græce, & in antiquissimo Cod. MS. V. & N. T. seculo *quinto*, ut putatur, exarato, reperta, & Veterum testimoniis insuper munita. Sed ne prolixioribus Litteris meis Te, Virum occupatissimum, & Lectorem quemcunque alium, fatigem, hic subsisto: de reliquis meis *dubiis*, ex ipsis Epistolis ortis, nihil certi promittens, cum a Te, vel alio, me Doctiore, hanc rem potius quam a me, cui etiam vix otium tantum suppetit, agi velim, a Docto, & in Patribus bene versato, *Lardnero*, jam incepisse, intellexerim ex *novellis* Litterariis, licet nondum viderim. Ita vale.

Dabam Franequeræ a. d. iii. Kalend. Januar. cIↃIↃCCLIII.

a Vid. Asseman. Bibl. Orient. t. iii. p. 17.

H. VENEMA
EPISTOLA
SECUNDA

DE GENUINITATE EPISTOLARUM CLEMENTIS A CL. WETSTENIO PUBLICATARUM,

AD

VIRUM LONGE CELEBERRIMUM

T. HEMSTERHUIS

QUA

PRO SECUNDO CONTRA HAS EPISTOLAS DUBIO NONNULLA EX IPSIS ILLIS PROFERUNTUR, A CLEMENTIS PERSONA ET TEMPORE ALIENIORA, ET DE VIRGINITATIS CONSPECTU SECUNDUM PATRES APOSTOLICOS AC ECCLESIASTICOS DISSERITUR, NEC NON AUTOREM SECUNDÆ, SIC DICTÆ, EPIST. CLEMENTIS AD CORINTHIOS ALIUM ESSE ET EO POSTERIOREM DEMONSTRATUR.

HARLINGÆ,
Apud FOLKERT JANS VAN DER PLAAT;
Bibliopolam.

VIRO
CLARISSIMO
T. HEMSTERHUIS
P. S. D.
H. VENEMA.

§. I.

Tempora, dudum licet praeterlapsi, quibus Tibi, vir amicissime, & innotescere coepi adhuc juvenis in hac Academia, & dein, Tibi Collega adjunctus, Tecum, una cum Wesselingio nostro, arctiore amicitiæ vinculo colligatus familiariter conversatus sum, quoties animo recolo, quod sæpe facio; toties de hac mea felici sorte lætari soleo, & quantopere Tibi sim obligatus animo succurrit. Quod Tua me vetat modestia Tibi coram per litteras exponere. Desertus dein a Te post Wesselingium, fido meo in vera studia ductore,

& monitore, & hic relictus, amicitia tamen tuâ nunquam excidi. Litteris quoque, licet rarioribus, quam vellem, me sæpe honorare non destitisti. Occasionem hoc publice testandi diu quæsitam, nunc, dum in Epistolis Clementis, a Cl. Wetstenio publicatis, dijudicandis versor, opportune oblatam, lubens arripio; dubia mea de genuinitate earum, ex ipsis Epistolis nata, ad Tuum tribunal examinanda & judicanda, uti de aliis rebus per litteras privatas sæpe solebam, nunc per publicas deferens. Novi equidem probe ad quem Virum scribam, & qualem elegerim judicem, Virum in re litteraria principem: sed, præterquam quod non vana caussæ fiducia aut inani gloria inflatus, sed veritatis studio unice ductus, a Te in viam, si erraverim, reduci, &, si bene judicaverim, confirmari tuo consensu desiderem; benevolum Wesselingii nostri, nemini nisi Tibi forte secundi, de prima mea epistola judicium nescio quem addidit animum, quo Te publice compellare ausim: amicitia denique, Tecum tot annos integerrime culta, me apud omnes rerum æstimatores æquos à temeritate, qua, hujus licet ævi Theologus, Te, Virum eruditione consummatum, adloqui fuerim ausus, spero absolvet. Dicam quoque, credo, nemo mihi scribet, quod, Doctissimo harum Epistolarum editore, Cl. Wetstenio, e vivis nuper erepto, cum meis dubiis in publicum prodeam, cum quod hanc telam, vivo Viro humanissimo, inceptam, tantum persequar, tum quod non tam ejus, quam publici caussa hic agatur; cui dubia mea exponere institituo. Maluissem profecto, ut & Ejus sub oculos venissent, ipsiusque quoque ad hanc epistolam, sicut ad præcedentem,

re-

responsum cum publico potuisset communicari, ut de tota hac controversia sanius ab unoquoque posset ferri judicium; maxime cum serra contentionis tam placide & modeste, salvo dissentientium honore, reciprocari, vel, ut recti s dicam, amica collatio institui cœperit. Sed, cum supremo nostrarum rerum Arbitro aliter fuerit visum, Doctissimi defuncti manes si non turba vero, & de mea ad communem nostrum Amicum, P. Wesseling, & Cl. Wetstenii ad me, data Epistola judicium reliquerim Lectori integrum, quod faciam, me in reliquis meis *dubiis* in lucem dandis pergere posse, & mihi & amicis visum fuit. Quod nunc ex parte, in hisce ad Te litteris, præstare adgredior.

§. II. Cum, præter antiquiorum testimonia, ut liber aliquis genuinus sit, requiri jure merito soleat, nihil a persona autoris, cui adscribitur, alienum, nihil, quod post ejus ætatem demum obtinuit, in eo reperiri: *secundum* mihi *dubium* nonnulla in binis illis Clementis epistolis Cl. Wetstenii concitarunt; quæ Clementi Romano vix convenire videntur. Quorum in classem ipsam inscriptionem referrem, si ea ab autore, aut æquali alio, censeretur prolata; uti autumare videtur Cl. Editor, titulum ex Origene defendens in Prolegomenis. Offendit enim me, quod diffiteri nolim, *titulus discipuli Petri*, qui Clementi datur, tanquam nec ei congruus, nec a puriore antiquitate, quantum succurrit, agnitus, neque aliunde, ni fallor, natus, quam ex falsa traditione de Clemente, a Petro *ordinato Episcopo* Romano. Quod ante Tertullianum qui dixerit, mihi occurrit nemo. Ipse autem illud exserte

te tradit; *a* auctor a principiis Christianismi, quæ adtigit Clemens, nimium remotus, quam ut sine alia autoritate fidem mereatur; præsertim si antiquius obstet testimonium, fide longe dignius; quod Irenæus suppeditat. Is enim refert, *b* Apostolos, Petrum scilicet & Paulum, *fundantes Ecclesiam Romanam*, (formam nimirum externam ei dando, & regimen ac disciplinam ordinando, & Ecclesiam firmando & augendo: alio enim sensu cum genuina Petri & Pauli historia difficulter conciliaveris; de quo hic non est agendi locus) *Lino tradidisse episcopatum; ei successisse Anacletum;* Μετὰ τȣ̃τον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν Ἀποςόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληρȣ̃ται Κλήμης, *post eum vero tertio ab Apostolis loco episcopatum sortitur Clemens.* Vocum Græcarum constructio, male intellecta, ansam forte præbuit opinandi, ab ipsis illis Apostolis eum accepisse Episcopatum. Petri vero quo fundamento *discipulus* audiat Clemens, me prorsus latet. Novi equidem quid monumenta, Clementi supposita, de Petro & Clemente referant, unde hæc opinio in vulgus emanare potuit; sed cum nemo non iis fidem deneget, qui aliquo pollet judicio critico, in rem præsentem nihili sunt. Nec, qua ratione cum per omnia tempora recepta sententia, quæ nostrum Clementem eundem fuisse vult, quem memorat Apostolus ad Phil. IV: 3, conciliari possit, intelligo. Iste enim Clemens, cujus meminit Paulus, ejus, & non Petri, fuit *cooperarius*, ut ibi adpellatur, & Philippis, ubi Paulus euangelium plantavit, Ecclesiæ inservit, adeoque Pauli verius discipulus & comes.

§ III.

a Præscript. hær. c. 32. *b* Adv. Hæret. l. III. c. 3.

§ III. At hoc levius, nec alios premit, quam qui inſcriptionem & clauſulam epiſtolarum pro genuina habent: gravius eſt, quod autor Epiſtolarum, ſibi cum Apoſtolis Domini noſtri nihil fuiſſe commercii, indicare videatur. Quod inde non ſolum colligo, quod nusquam illud patefaciat, aut ad ſuam de Apoſtolorum converſatione ſcientiam provocet, licet haud una illud faciendi fuerit occaſio, epiſtolas vero eorum unice citet; ſed in primis, quod aliorum ad teſtimonia de Apoſtolis ableget eos, ad quos ſcribit. *Videte*, inquit, [a] *quæ dixerunt etiam de Prophetis Viri Sancti, & de Apoſtolis Domini noſtri: videbitis, nullum ex ſanctis fuiſſe frequenter cum virginibus, aut cum uxoribus virorum juvenculis; aut cum viduabus, quas fugit divinus Apoſtolus*; reſpiciens ad 1 Tim. v. 11. Sic & deinceps [b], *etiam Apoſtolis, etiam Paulo, reperimus miniſtraſſe mulieres; ſed cum illis non habitarunt*. Qua eadem phraſi de Elia, Eliſa, aliisque ſanctis V. T. uſus eſt, dicens [c], *reperimus eorum converſationem fuiſſe ſanctam*. Hoccine in Clementem Romanum convenire cenſebis? qui Pauli latus claudere ſolitus fuit, Ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους Ἀποστόλους, καὶ συμβεβληκὼς αὐτοῖς, *qui & vidit ipſos Apoſtolos*, verba ſunt Irenaei, [d] *& contulit cum iis, & adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum, & traditionem ante oculos habuit*.

§ IV. Scrupulum vero, fateor, injicit maximum haud una inter has epiſtolas & priorem Clementis ad Corinthios, communi calculo adprobatam,

[a] Ep. II. §. 14. [b] Ib. §. 15. fin. [c] Ep. I. §. 6. [d] adv. hær. l. III. c. 3.

tam, discrepantia, cujus unum alterumve notabilius proferam specimen. Argumentum enim singulare epistolarum, præter brevitatem, plura vetat reperiri. *Primum* indicium frequentes epistolarum, & Pauli, & aliorum Apostolorum, citationes suppeditant, nec indirectæ, per phrasium imitationem aut adlusionem, verum directæ, etiam cum formula, *dixit Apostolus* a, *& non audiunt dicentem* b. Quod a Clementis epistola ad Corinthios multum diffidet; in qua sententiæ quidem aliquæ similes iis, quæ in epistolis Paulinis exstant, reperiuntur, sed tum rarissime, tum eo modo, ut, num ex iis fuerint desumtæ, & ad eas respexerint, vix dijudicare queas; uti alibi c exposui & demonstravi. Quare hic plura non addo. Sed in specie adverti velim, epistolas Pauli ad Corinthios sæpius ad partes vocari ab hoc autore, ut cuivis ex lectione patebit; quas tamen Clementi Romano ad manus non fuisse, ex ejus epist. ad Corinthios mihi observasse videor. Memorat quidem *priorem* Pauli ad eos, dicens, d *Sumite epistolam beati Pauli Apostoli. Quid primum vobis in principio euangelii scripsit? Profecto spiritualiter ad vos per litteras scripsit de se ipso, & Cepha & Apollo; quia tum etiam diversa in studia scissi eratis*: ex quo, notum ipsi fuisse ex parte argumentum & scopum Epistolæ, clarescit; sed ab ipso adhibitam non fuisse, ex eo colligi poterit, quod, resurrectionem mortuorum demonstraturus e Corinthiis, ne verbulo quidem meminerit hujus epistolæ, licet ea ipsa res ibi ex professo cap. xv. agatur; quodque elogia *charitatis* factu-

a Ep. I. §. 5. 12. &c. b ib. §. 11. c Diss. II. de titulo Ep. ad Ephes. c. IV. §. 8. d §. 47. e §. 24

ꝯturus, [a] se cap. XIII. 1. ad Corinth ante oculos non habuisse clare significet, denique locum Jesajæ LXIV. aliter citaverit, [b] quam Paulus 1 Cor. 11: 9. hunc in modum: *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quanta præparavit* τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὸν, *eum exspectantibus*, convenienter textui Græco, ubi pro ἔλεον lubens reposuerim αὐτὸν, pro quo Paulus habet, τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν: cui plane concinit autor [c] epist. Wetstenii; & in eo cum Clemente dissidens. Videtur vero Clemens non ex Jesaja, sed Eliæ Apocalypsi, de qua Grabius [d] & Fabricius [e] egerunt, Paulus vero ex ipso Propheta, convenienter textui Hebræo sumsisse.

§ V. *Secundum* discrepantiæ utriusque autor exemplum peto a vocibus & epithetis nonnullis, vero Clementi, & purissimæ quoque antiquitati, insolitis. Quo 1. titulum *divini* refero, quo Paulum Apostolum ornavit [f]; quem frustra apud Clementem quæras. Loquitur quidem de Apostolis tanquam viris θείως πολιτευσαμένοις, *divine instituentibus*, seu θεοῦ ἀξίως *Deo digne*, quæ usitata est phrasis apud vetustissimos Patres, nec Scripturæ [g] ignota; quorum πολίτευμα *conversatio est in coelis* [h], qui alibi [i] a Clemente dicuntur πολιτείαν τοῦ θεοῦ πολιτεύεσθαι, & ab Ephræmo Syro [k] κατὰ θεὸν πολιτευόμενοι *secundum Deum viventes*: sed θείους *divinos* adpellat nusquam. Videtur tamen Cl. Wetstenius, [l] ut offensionem ex hoc titulo oriundam tol-

[a] § 49. [b] §. 34. [c] Ep. 1. §. 9. [d] Spic. P. Sec. 1. p. 138. [e] cod. Ap. V. T. 1. p. 1072. [f] Ep. 1. §. 10. 14. [g] 2. Thes. II. 12. 3. Joh. 6. [h] Phil. III: 20. [i] 1. ad Cor. §. 54. [k] Opert. 1. p. 316. [l] Proleg. p. 8.

tolleret, in Clementis Epist. ad Corinthios *a* eundem reperisse, pro ἀγαθὰς ἀποςόλας *bonos apostolos* ex conjectura substituendo θείας *divinos* apostolos. Sed, pace viri eruditi, lectio receptanihil habet, quod offendat, adeoque cum Junio & Davisio, qui in diversa abeunt, non solicitanda, quia ἀγαθὸς hic non in genere *bonum*, sed *strenuum*, & *fortem* signat, & de Apostolis, tanquam *athletis*, capienda est; uti modo dixerat Clemens, *veniamus ad nostri temporis athletas*; quando recte & in rem subjungit ἀγαθὰς *strenuos apostolos*, quos per *athletas* intelligit. De usu vero vocis pro strenuo & forti nemini non constat; & a Doctis, ut P. Fabro *b* & Wesselingio, *c* satis demonstratum est. Redolet quoque illud epitheton stilum magis poeticum vel gentilem, quam ut simplicitas & puritas ævi apostolici ferre queat: a qua posteaquam magis minusve deflexerunt, hæc & similia alia magnifica epitheta non refugerunt; præcipue qui stilo sublimiore usi sunt. Primus, quantum novi, simile, sed semel & de prophetis ἐμπνεόμενοις *inspiratis*, Ignatius *d*, apud quem θειότατοι *divinissimi* adpellantur; qui sese & in aliis demonstravit *Asiaticum*; *ut quum* se nuncupat θεοφόρον *deiferum*; quod nomen deinceps cum θείῳ *divino* est permixtum, & ad Christianos veros, seu sublimioris scientiæ & virtutis, transiit, uti ex Clem Alex. *e* patet, qui Gnosticum dicit esse θεῖον γὰρ ἅγιον θεοφόρον ϗ θεοφορέμενον *divinum*, *sanctum*, qui *Deum fert*, & *ab eo adflatur*. Plura dabit magnus Pearson *f* θείας *divinos* viros quoque Prophetas & Apostolos adpellavit

a § 5. *b* Semestr. l. 1. *c*. 19. *c* Ad Diod. sicul. t. I. 468. II. p. 27. *d* Ad Magnes. § 8. *e* str. l. VII. p. 288. *f* Vind. Ignat. p. 11. c. 12.

Origenes, a sed modestius deinceps Polycarpum dixerunt autores martyrii ejus θεοπρεπῆ.

§. VI. Addamus a simile eucharistiæ epitheton, a simplicitate prima abhorrens; quo *divinam* θείαν εὐχαριστίαν adpellat auctor b Epistolarum Wetstenii. Quod, versatissimus in scriptis Patrum, Cl. editor quoque tetigit; sed non nisi uno ex Dionysio Areopagita exemplo defendit. Quod parum juvat, cum recentior sit iste scriptor Sec. v. vel vi. demum ortus, & per epitheta nova & turgida famosus; uti constat. *Divina* quoque Eucharistia eo tempore, quo unionem divinæ naturæ cum pane & vino, uti cum humana natura Christi, admiserunt Patres, majore cum emphasi usurpari potuit, quam ævo Apostolico. De quo hic non est differendi locus. Tantum observo, Ignatium, licet a puritate apostolica & hac parte aliquo modo deflectere coeperit, nusquam tamen *divinam* dixisse *eucharistiam*; quod mihi nunc succurrit. Adpellat quidem ἄρτον τοῦ Θεοῦ, *panem Dei*, in Epist. ad Ephes. c, sed cum manifesta adlusione ad sacrificium legale, eo nomine insignitum, quod Deus in eo sibi complaceret, uti recte observavit Vir eruditus, Ruchat d. Quo haud multum absimili sensu se ipse in ep. ad Romanos e nuncupat σῖτον τοῦ Θεοῦ *frumentum* Dei, per martyrium Deo in sacrificium gratum offerendum. Paulo alio sensu *carnem* Christi adpellat *panem Dei*, & *sanguinem* ejus *potum* Dei, in eadem Epist. ad Romanos f, quia est medium & causa *coelestis* vitæ & lætitiæ, in communione Dei in coelis, sub emblemate *panis* & *potus*;

a Contra Cels. l. VII. p. 364. b I. ep. §. 5. c §. 5. d ad Ignat. Gallice ab ipso editum p. 334. e §. 4. f §. 7.

tus; ſed Dei, ſeu in fruitione Dei, oppoſite ad panem & vinum in Euchariſtia. Non itaque ibi eſt *Euchariſtia*, ut recte notavit Caſaubonus [a] contra Baronium & alios, ſed vita coeleſtis, per Euchariſtiam figurata & obſignata; & per Chriſti *carnem* & *ſanguinem* acquiſita. Opponit enim Ignatius huic vitæ, & ideo ſe martyrium optare dicit, ut eo pane & potu fruatur; denique panem eſſe *coeleſtem* dicit, & *vitam perennem*.

§ VII. Reſtrictus 3. & peculiaris plane vocis *Sancti* & *ſanctitatis* uſus de virginitate, & ab omni concubitu abſtinentia, qui per Epiſtolas regnat, adeo ut *Sanctus* abſolute poſitus, & *Sanctus* frater ubique denotet *continentem* & *coelibem*, oppoſite ad reliquos Chriſtianos, fratres ſimpliciter & *ſocios* ſeu conjugatos dictos; quod ex lectione facile pateſcit: hic, inquam, uſus ſicut a Clementis Epiſt. ad Corinth., ita & ab antiquitate, haud parum diſcedere mihi viſus eſt. Clementi Romano cuncti Chriſtiani ſunt *Sancti*, & *Sanctitas* eſt animi ac morum puritas in genere; *caſtitas* vero, æque in matrimonio, ac extra illud, eſt ἁγνεία, ἁγνότης, & ἐγκράτεια, καθαρότης; nusquam, quod mihi nunc ſuccurrit, ἅγιος & ἁγιασμὸς abſolute pro virgine aut virginitate: ἅγιοι vero ſunt in genere Chriſtiani [b]; & ἐγκράτεια ἐν ἁγιασμῷ [c] eſt *continentia cum ſanctitate*, ſeu puritate animi & vitæ: ὁ ἁγνὸς ἐν σαρκὶ [d] *carne caſtus* audit, qui ἐγκράτειαν *continentiam* poſſidet; & alibi ἁγνὸς *caſtus* abſolute; de quo loco poſt recurret occaſio dicendi. Videtur autem illud *ſancti* epitheton tunc demum virginitatem

a Exercit. XVI. contra Baron. c. 39. b 1 ad Cor. §. 30, 56. c §. 35. d §. 38.

tem professis datum, tanquam proprium, quum vel vitium morale a conjugio inseparabile, de quo in *prima* Epist. egi, vel virginitatem pro majore sanctitatis gradu habuerunt, ita ut *ἅγιοι Sancti* *καθ' ἐξοχὴν* meruerint adpellari, sicut Angeli & coelites, quibuscum virgines compararunt postea; uti constat. *Est enim*, inquit Gregor. Nyssen. *a*, *τὸ κατόρθωμα τῆς σεμνῆς ταύτης παρθενίας, τὸ ἄμωμόν τινα γενέσθαι ϗ ἅγιον. augustæ hujus virginitatis perfectum opus, ut quis inculpatus & Sanctus fiat*. Quales Clementi Alex. *b* audiunt *τῶν ἐκλεκτῶν ἐκλεκτότεροι*, *electorum magis electi A*: qui, licet sint, tamen videri nolunt, ut addit, *ἅγιοι*, *Sancti*, &, si *quis nuncupavit*, *erubescunt*. Qui etiam alibi *c* diserte declaravit de *nuptis* & *innuptis*, *ἄμφω γὰρ ἅγιαι ἐν κυρίῳ ἡ μὲν ὡς γυνή, ἡ δὲ ὡς παρθένος. ambæ enim sunt sanctæ in Domino, illa quidem ut uxor, hæc vero ut virgo*. Tertullianus in hoc restricto *sanctitatis* usu censeri poterit præivisse, jam Montanista, cum quod *Sanctitatis* species recenseat ordine tres *d virginitatem a nativitate*, eandem *a secunda nativitate*, *id est a lavacro*, *quæ aut in matrimonio purificat ex compacto*, *aut in viduitate perseverat ex arbitrio*, *tertium gradum monogamiam*, tum quod lib. de *pudicitia* dixit, *de exhortatione sanctimoniarum*, notante Rigaltio, tum quod *virginis principalem sanctitatem* adpellet *e*. Interpolator quoque Ignatii, sicut *virginum* in specie meminit in officiorum præscrip-

a de Virgin. oper. t. III. p. 113. *b* Q. D. S. §. 36. *c* Str. l. III. p. 551. *d* exh. cast. c. I. *e* ib. c. 9.

A Similiter Augustinus de *Sancta virginitate* cap. 40. virgines vocat *genus electum*, & *in electis electius*.

scriptione, ita iis speciatim adscribit *Sanctimoniam* dicens *a*, ὀναίμην ὑμῶν τῆς ἁγιωσύνης, *utinam fruar vestra Sanctimonia.* Autor vero de *singularitate Clericorum b* ubique voce *Sancti* & *Sanctimoniæ* eo sensu abutitur. Provocat quidem Petavius *c*, ut hoc elogium virginibus recte competere evincat, ad Pauli verba, 1 Cor. VII. 36. *innupta solicite curat quæ Domini sunt, ut sit* ἁγία ϗ σώματι ϗ πνεύματι. *sancta & corpore & spiritu; nupta vero curat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro.* Sed, licet iis abusi fuerint postea Encratitæ, qui τὴν συνουσίαν *concubitum* dixerunt μιαρὰν εἶναι *esse sceleratum*, uti Clem. Alex. *d* testatur, & ansam quoque dederint titulum *Sanctitatis* ad coelibes restringendi, dubium tamen non est, quin utrumque a mente Apostoli alienum sit; *cum* quod solam virginem, exclusa uxore, curare, ut sit *corpore* & *spiritu Sancta*, non dicat, sed simpliciter, virginem scopum illum, quem & virgo & nupta habere debet, facilius & felicius pro eo tempore adsequi tradat, quia ἀπερισπάστως *sine distractione* id agit, & nupta quoque *mundana* curet, ut *viro placeat*, uti mox additur, quod Clem. Alex. *e* jam observavit, *tum* quod *Sancta corpore* & *Spiritu* non sit, stilo Apostoli, *casta* utraque sui parte duntaxat, & ab inquinamento vitioso carnali libera, quippe quod *conjugio* etiam ab ipso vindicatur, & hoc in cap. & alibi, & Heb. XIII: 4; sed omnem sanctitatem & virtutem comprehendit, opposite ad μολυσμὸν σαρκὸς ϗ πνεύματος *contaminationem carnis & spiritus*, 2 Cor. VII: 1. Nihilo plus

a Ad Philad. §. 4. *b* ad calcem oper. Cypriani. *c* Dogm. Theol. l. XIV. c. 1. *d* Str. l. c. p. 532. *e* Ibid. p. 551.

plus juvat, etsi proferat quoque Petavius, quod Ap. XIV: 4. memorentur οἱ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν, παρθένοι γάρ εἰσιν, *qui cum mulieribus non sunt inquinati; virgines enim sunt*, cum, ut in libro Symbolico necesse est, intelligantur puri a scortatione & adulterio spirituali, seu superstitione & idololatria, nec a virginibus, proprie dictis, quæ virum non sunt expertæ, sed in genere ab illis, sive nuptis sive innuptis, emblema sumtum sit, qui castitatem servarunt, nec scortationem aut adulterium commiserunt. Illud enim stilo script. est *pollui* & *inquinari*, cum *nuptiæ sint*, teste Apostolo Heb. XIII: 4., *honorabiles in omnibus*, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος & *concubitus immaculatus*. Vox vero παρθένος in genere puritatem & castitatem designat, & de nuptis æque ac innuptis adhibetur., uti ostendit Ill. Ez. Spanhemius *a*. De quo nunc dicere incipio.

§ VIII. 4. Quartum enim discrepantiæ hujus auctoris a Clemente, & puriore antiquitate, hic ipse vocis παρθένου seu *virginis* usus tam de viro, Veneris prorsus experte, quam de muliere, frequentatæ, qui ubique recurrit, suppeditat. *Virginis* notio, nusquam venit apud Clementem pro castitatem professa: *virgines* sic *dictæ viduæ*, id est, in viduarum statum & honorem allectæ, vel quæ non præferunt τὰ νεωτερικὰ σχήματα *habitus juveniles*, ut autor de Virginitate inter opera Athanasii *b*, adeoque *ætate grandiores* adpellantur, semel apud Ignatium *c* occurrunt in genuinis ejus Epistolis. Polycarpus *d* vero *juvenibus* & *virginibus*, distincte compellatis, commendat simplici-

ter

a ad Julian. Cæs. p. 51. *b* tom. II. p. 116. *c* ad Smyrn. §. 13. *d* §. V.

ter *castitatem*; tantum abest, ut pro *viris* continentiam professis sumeretur. Joh. quidem Damascenus *a* citat Ignatii aliquod dictum, παρθενίας ζυγὸν *virginitatis jugum nemini esse imponendum*; sed ex Epistola spuria ad Antiochenos: cui itaque, quod fecit Grabius *b*, fidem non obstrinxerim. Sed Paulo tamen Apostolo hæc vox videtur viris data, 1 Cor. VII. 36. *Quod si quis indecore* sese gerere putet erga τὴν παρθένον αὐτοῦ *virginem suam, si vieta fiat*; & *ita oporteat, quod velit faciat, non peccat*, γαμείτωσαν: ita visum fuit ex antiquis Methodio *c*, & ex recentioribus Lockio, qui *propriam* viri virginitatem intelligit, sed contra usum vocis παρθένου, & phrasin τὴν ἰδίαν παρθένον (non enim dixit, quod recte advertit Epiphanius *d*, παρθενίαν) & verbi ἐκγαμίζειν, & Pauli ratiocinium; uti recte demonstravit Clericus *e*. Communis itaque obtineat interpretatio; & sensus sit, patrem recte facere, si filiam virginem, quæ, toro matura, nubere velit, nuptum det: ᾧ λόγῳ, verba sunt Clementis *f*, & τὸν ἀσχημονεῖν ἑαυτὸν ἐπὶ τῇ παρθενοτροφίᾳ ὑπολαμβάνοντα, καλῶς εἰς γάμον ἐκδώσειν τὴν θυγατέρα ἔλεγεν. *qua ratione cum qui se indecore gerere existimat, quod virginem alat, recte eam dicit nuptum daturum.* Reperitur tamen sensu latiore pro utriusque sexus virginitate, Ap. XIV: 4. cujus supra memini. Verum iste liber totus est mysticus & symbolicus, & stilum habet peculiarem; unde nullum petere licet argumentum pro vocis usitata significatione.

Præ-

a Parall. l. III. c. 27. *b* Sp. P. Sec. II. p. 25. *c* conv. X. virg. or. III. p. 86. ed. Combef. *d* Hær. Apostolic. LXI. p. 510. *e* Bibl. Select. t. XIII. p. 90. *f* Str. l. III. p. 546.

Præterea *virgines* ibi sunt in genere *casti*, sive in conjugio sive extra illud; & ita omnes adpellantur credentes, qua *sponsa casta uni viro*, *Christo*, *dicata* 2 Cor. XI: 2. qui mystica de ratione a *mulieribus*, & non, ut *virginis* emblema requirebat, *a viris*, dicuntur puri; quia imaginem *mulieris* hoc in libro gerit idololatriæ supremus Doctor, Christo, vero sponso & marito Ecclesiæ, oppositus. Quod si hic ipse locus Apoc. hunc usum apud Ecclesiasticos peperisse censeretur; illud vim argumenti nostri non infringeret, quin firmaret; cum Apocalypsis & post Clementem fuerit Johanni sub Domitiano data, uti a Cl. Vitringa [a] abunde comprobatum est, quicquid Cl. Wetstenius nuper contra disputaverit; & aliquandiu post in vulgus emanaverit. Primus, qui Apocalypsi quoque usus fuit, sensu latiore vocem παρθένυ usurpavit, ni memoria me fallit, Justinus Martyr in fragmento, quod Joh. Damascenus conservavit, & inde excerpsit Grabius [b]; inter Latinos vero Tertullianus, qui *viros virgines* & *spadones voluntarios* memorat [c].

§. IX. 5. Quintum indicium præbet ipse stilus, in complexu sumtus; a Clementis epistola, si quid video, longe abhorrens. Planus quidem est, & simplex, sed redundans valde, & in repetitionibus nimius, epithetis & verborum multitudine luxurians; præterea eadem chorda semper oberrans, sine ulla fere variatione. De quo quisque ex ipsa lectione judicium ferat. Unum tantum alterumve specimen redundantis & luxuriantis sti-

a ad Ap. I: 2. *b* Spic. P. sec. II. p. 180.
c de vel. virg. c. 10.

ſtili protuliſſe ſatis fuerit: ſi *igitur hæc omnia deſideras*, inquit ex verſione Cl. Editoris, ſc. virginitatem recte agere, & ſcopum adſequi, *vince corpus*, *vince adfectus carnis*, *vince mundum in ſpiritu Dei*, *vince vanitates temporis transeuntes* & *veteraſcentes*, *corruptas & deficientes*; *vince Draconem*, *vince Leonem*, *vince ſerpentem*, *vince ſatanam per Jeſum Chriſtum* &c! Prolixior eſt catalogus *cogitationum carnis*, quem contexuit, a & legi velim; nullum enim hic modum tenet. Deſcribam aliam pericopam b breviorem: *omnes enim vos*, ſc. virgines fratres & virgines ſorores, *agnoſcent*, *vos eſſe ſemen* cui *benedixit Deus*, *vere ſemen glorioſum & ſanctum*, & *regnum Sacerdotale & populum ſanctum*, *populum hæreditatis*, *hæredes promiſſorum Dei* &c. Sæpius & ad nauſeam usque repetit, *hoc pulchrum*, hoc *rectum*, hoc *ſuave*, &c. Sed de ſtili ejus conformitate cum Clementis rectius judicare poſſemus, ſi Græca lingua exſtarent Epiſtolæ, modo unquam extiterint. De quo valde dubito; ſed ad rem præſentem nunc parum facit.

§ X. Haud minoris momenti ſunt alia, ſive *doctrinalia*, ſive *hiſtorica*, quæ partim cum perſona Clementis, partim cum apoſtolicæ antiquitatis monumentis vix ac ne vix quidem conciliaveris. Quorum *primum*, ad doctrinam de virginitate ſpectans, habet, *virginitatem* ex mente hujus autoris, *a.* eſſe ſummum perfectionis moralis gradum, vitam *angelicam*, *coeleſtem* & *divinam*; ſummeque *glorioſam* & *excellentem* c *b.* connexum habere majus etiam gloriæ & beatitatis pondus in coelis

a Ib. §. 8. b Ib. §. 9. c Ib. §. 4. 5. & ubique.

lis, supra conjugatos quoque, pios & immaculatos *a*, tanquam proprium virginitatis praemium *b*; modo pure & sancte agatur. *c*. Institutum vitae esse, quod quisque sponte suscipere potest; & ad quod sancti Christiani excitandi sunt. Scripsit enim litteras ad eos, qui *constituerunt servare virginitatem propter regnum coelorum*, & ubique memorat eos, qui *haec magna & excellentia desiderant*, & magnificis ubique exornat eos, qui id egerint, encomiis. *d*. Vitam esse, quam quis ex *voto* suscipit, Deo *professus*, *se servaturum esse castitatem*: cui itaque deinceps sine peccato renunciare non poterit. *e*. Denique laboriosum, & arduum esse opus, multa cum lucta, multo cum certamine conjunctum *e*

§. XI. Comparemus hanc doctrinam non cum Christi & Apostolorum; potuit enim Clemens ab ea paululum deflexisse, seu eam minus recte intellexisse, quod tamen probabile non est, utique doctrinam ejus a Script. S. esse alienam facile adparet, & a Protestantibus satis est evictum, quare eam non ingredior disputationem; sed cum Clementis epistola ad Corinthios, & Ignatii quoque, ac Polycarpi, genuinis monumentis; intra quos limites me nunc continebo; ne nimiam in molem excrescat epistola. Nihil eorum, quae tetigi, in Clementis Epistola non tantum invenitur, licet vitam Christianam & officia ejus pro diverso hominum statu saepe describat & inculcet; sed, quod discrepantiae ejus ab hoc auctore demonstrandae solum sufficit, simul in verum virginitatis intellectum ex mente ejus egregie ducit, considerat *virginitatem* tan-

a §. 4. & passim. *b* §. 3. *c* §. 5. & alibi.

tanquam *donum* extraordinarium, in nonnullos, naturali continentiæ dono non gaudentes, ex gratia Dei collatum, ut ad regnum Dei propagandum, maxime pro eo tempore, essent aptiores; quod itaque nemo sponte suscipit, neminem reddit perfectiorem, nec multa cum lucta agitur, carnis titillationibus molestiam facientibus, per donum *continentiæ*, nullam vel facile superandam, nullumque per se præmium meretur, non magis quam reliqua Dei dona extraordinaria, de quo itaque nemo habet gloriandi rationem. Fundum hujus hypothesios præbent hæc Clementis verba; *a* quæ, posteaquam viam salutis ab omnibus servandis calcatam, ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ *in sanctitate & justitia* sitam, straviſſet, immediate subnectit: Ἤτω τὶς πιστὸς, ἤτω δυνατὸς γνῶσιν ἐξειπεῖν, ἤτω σοφὸς ἐν δικαίᾳ κρίσει λόγων (rectius διακρίσει λόγων, uti hæc verba citans habet Clemens Alex. *b*, Ἤτω ἁγνὸς ἐν ἔργοις (rectius rursus ex Clem. Alex. γοργὸς ἐν ἔργοις, ἤτω ἁγνὸς) τοσούτῳ μᾶλλον ταπεινοφρονεῖν ὀφείλει, ὅσῳ δοκεῖ μᾶλλον μείζων εἶναι. *Sit aliquis fide præditus, sit potens in scientia efferenda, sit sapiens in dijudicatione sermonum, sit acer & formidabilis in operibus, sit castus; tanto humilior esse debebit, quo major esse videtur, & quærere quod omnibus utile est, non autem suum.* Dona Spiritus S. extraordinaria, *fidei* seu fiduciæ, *scientiæ*, *prophetiæ*, *dijudicandi peritiæ*, & ἐνεργήματα *mirabilia patrandi* intelligi, cum nemini possit esse dubium, ipsis verbis, eorumque cum 1 Cor. XII: 8, 9. collatione, & orationis nexu clare demonstrante; *castitatem*, quæ cœlibatum & virginitatem omnino denotat, in ejusmodi donorum clas-

a 1. ad Cor. §. 48. *b* Str. l. 1. p. 339. VI. p. 773. *c* ibid.

classem quoque fuisse a Clemente relatam, ut statuatur necesse est. Præterea, cum reliqua dona neminem meliorem & virtute perfectiorem reddant, a nemine sua opera & studio requirantur, nec majus alicui in vita æterna præmium concilient; idem de *castitate virginea* ex mente Clementis statuendum est. Sicut autem per hæc dona facile quis spiritus sumat, & se supra reliquos extollat, uti notum est & testatissimum quoque experientia; hanc contra superbiam maxime opus habebant ut armarentur: quod hic quoque agit Clemens, addens non sibi, sed in communem utilitatem ea dona esse concessa, reputare debere eos, qui eorum participes sunt facti. Nihil itaque laudis, nihil præmii oportet secundum Clementem habeat virginitas, tanquam status perfectior. Cui doctrinæ plane concinit, quod antea dixerat, [a] Ὁ ἁγνὸς ἐν τῇ σαρκὶ μὴ ἀλαζονευέσθω, γινώσκων ὅτι ἕτερός ἐστιν ὁ ἐπιχορηγῶν αὐτῷ τὴν ἐγκράτειαν. *Qui carne castus est, ne insolescat, sciens, alium esse, qui ei continentiam donat.* Nec non, quod inter beata & mirabilia Dei dona recenseat paulo ante [b] ἐγκράτειαν ἐν ἁγιασμῷ *continentiam in Sanctitate*; non sanctitatem tantum in genere, sed plenissimam *castitatem*. Quæ pura puta est doctrina euangelica & Apostolica, a Domino [c] nostro profecta, & Paulo [d] promulgata. Quod verbo nunc tetigisse sufficerit.

§. XII. Succedat Ignatius, Clemente paulo recentior, sed primæ adhuc successionis Apostolicæ, & sententiam de virginitatis vel cœlibatus conspe-

ctu

[a] §. 38. [b] §. 35. [c] Matt. XIX: 12. [d] 1 Cor. VII: 7.

cto dicat. Illustris hanc in rem locus occurrit in epist. genuina ad Polycarpum, *a*, quo, postea quam conjugibus, & uxoribus, quas *sorores* suas, & maritis, *quos fratres suos adpellat*, *officium* præscripsisset, hæc in verba loquitur εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μένειν, εἰς τιμὴν τῆς σαρκὸς τοῦ κυρίου, ἐν ἀκαυχησίᾳ μενέτω. ἐὰν καυχήσεται, ἀπώλετο. *Si quis potest in castitate manere, in honorem carnis Domini, in humilitate maneat*, seu a gloriatione sibi caveat; *si glorietur, periit.* Quorum sensus est, castitatem non esse cujusvis, sed ejus tantum, qui singulari dono continentiæ, quod est, *si quis potest*, ut Matt. XIX. *qui capere potest*, mactatus est eo scopo, ut Deo & Domino glorificando fiat aptior; dein itaque maxime cavendum esse, ne super castitate sua ullo modo glorietur, aut sese efferat supra conjugatos, tanquam digniorem, Deo gratiorem, & majore præmio dignum; cum purum putum sit extraordinarium Dei donum ad Deum glorificandum, & regnum Domini propagandum, concessum. Quæ ipsissima est doctrina, quam modo ex Clemente Romano in lucem protraxi. Singularis vero est phrasis in honorem τῆς σαρκὸς τοῦ κυρίου, non ferenda, & contra mentem Viri Apostolici, facile in perversum sensum trahenda, ac si in honorem carnis, seu corporis Christi continentia quoque conspicui, hoc donum castitatis fuisset datum; sed cod. Medic., teste Cotelerio, præfert, εἰς τιμὴν τοῦ κυρίου τῆς σαρκὸς *ad honorem Domini carnis*: ex quo facile est conficere, quod Vossio jam observatum est, veram esse lectionem, ἐν ἁγνείᾳ τῆς σαρκὸς εἰς τιμὴν τοῦ κυρίου *in castitate carnis manere ad honorem Domini*; voce σαρκὸς lo-

a §. 5.

loco mota: sicut alibi sæpe *castitas carnis* occurrit, & mox apud Ignatium sequitur, *omnia* εἰς τιμὴν θεοῦ *ad honorem Dei fiant*.

§ XIII. Sequuntur verba, quæ nostram merentur adtentionem, quum in rem, quam ago, faciant, & hactenus male fuerint intellecta: Καὶ ἐὰν γνωσθῇ, πλέον τοῦ ἐπισκόπου, ἔφθαρται, *& si sese majorem Episcopo censet, interiit*: uti legi & verti solent. Quod nec verbis nec scopo & nexui consonum est. Verior lectio est, πλὴν; quam cod. vulg. & interpolata epist. habet, *sine Episcopo, præter eum*, sine ejus consensu & benedictione, ut sæpe loquitur Ignatius *A*: verti itaque debent; *si vero cognoscatur sine Episcopo, corrupta est* & *vitiata*; & sensus est, virginem, a Viro cognitam per concubitum, pro *vitiata* esse habendam, si sine legitimo, ab Episcopo benedicto, matrimonio fiat. Subjungit enim mox, *decet ut sponsi & sponsæ* μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου *de sententia Episcopi conjugium faciant; quo nuptiæ sint secundum Dominum, & non secundum cupiditatem.* Sine Episcopi sententia facta conjunctio censenda erit κατ' ἐπιθυμίαν *secundum libidinem* facta; & *vitiationis* loco habenda, non pro sancto matrimonio. Sicut itaque παρθένων φθορὰ *virginum vitiatio* non tantum πορνεία *fornicatio* dicitur Clementi Alex. *a*, sed & *earum præma-*

A Sic ἄνευ ad Magn. §. 7. Trall. §. 2. Pol. §. 5. & χωρὶς ad Magn. §. 4. Trall. §. 3, 7. Phil. §. 7. Smyrn. §. 8. λάθρα ad Smyrn. §. 9. ita hic πλὴν, *excepto*, prætermisso, Episcopo, sive præter ejus cognitionem. Qui si insolentior videatur particulæ usus, legatur ἄνευ, in πλὴν facile degenerans, si litteris majusculis scribantur:

a Apud Joh. Damasc. Parall. p. 643. nov. ed.

matura elocatio; ita & fine Epifcopi confilio nupta virgo ἔφθαρται *corrupta eft*, ex mente Ignatii: ita & Tertullianus [a], *ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eft non prius apud Ecclefiam profeffæ, juxta mœchiam ac fornicationem judicari, periclitantur.* Cui expofitioni verba γνωσθῇ & ἔφθαρται unice conveniunt, uti nemini non adparet. Verbum enim γινώσκειν, & vox γνῶσις, tefte etiam Clemente Alex. [b], de concubitu adhibetur in Script. uti in vulgus vel ex Matt. 1: 21. & Luc. 1. 34. eft notiffimum; nec infrequenter apud Græcos & Latinos, & de viris & de feminis; uti a Doctis [c] abunde eft demonftratum. De verbo vero φθείρεσθαι & voce φθορὰ pro pudicitia proftituta res quoque non eft ignota, aut minus obfervata. [d] De virginum φθορᾷ modo ex Clem. Alex. vidimus; & in Act. Theclæ quoque eo fenfu occurrit. Tatianus quoque ipfas nuptias adpellavit eo fenfu φθορὰν, uti Irenæus [e] & Epiphanius [f] tradunt: fed quid in re clara moras traho? Ceterum, cum is, qui virginitatem fervare non poffet, non vitietur ex mente Ignatii nifi per concubitum, minus rite factum; legitimum matrimonium ei non fuiffe vetitum, quin fine vitio & peccato iniri ab eo potuiffe, adeoque virgines nondum fuiffe notas, quæ profeffæ & voto obftrictæ erant Deo, uti Clemens Wetftenii habet, manifeftum eft; fecus ac poftea vifum fuit. Virgo enim,

[a] De Pudic. c. 4. p. 557. [b] Strom. l. III. p. 547. [c] Stephan. in adpend. p. 1829. Pricæus ad Luc. 1: 34. Elfner. Matt. 1: 21. Davifius ad Jul. Cæf. B. G. VI: 21. aliis, quos amiciffimus J. Alberti ad Hef. in γνῶναι citavit. [d] Vid. Meibom. ad Jusj. Hipp. p. 171. [e] adv. hær. l. III. [f] Hær. XLVI.

enim, *μετὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπαγγελίαν διαφθαρεῖσα μοιχείας χεῖρον ἐτόλμησεν, Si post promissam virginitatem* se *violari siverit, facinus adultero gravius perpetravit*, *secundum* Chrysostomum *a*. Imo pro traditione Apostolica venditat Epiphanius *b* ἐφάμαρτον εἶναι το μετὰ τὸ ὁρίσαι παρθενίαν εἰς *γάμον* τρέπεσθαι *post decretam virginitatem ad nuptias se conferre, scelestum quid esse.* Quo tempore virgo talis, si nuptias contraheret, censuræ Ecclesiasticæ subjecta jam fuit; quod tempore Cypriani nondum locum habuit. *Si perseverare nolunt*, scilicet quæ se Christo dicaverunt virgines, inquit Cyprianus, *c vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant*: sed qui eo ipso, tales culpa non carere, haud obscure indicat: uti recte observavit Baluzius. De quo ex Veteribus legi meretur autor eruditus, inter Basilii opera, *d de Virginitate.*

§ XIV. Polycarpus, Ignatii æqualis, & qui ipso Johanne Apostolo coram fruitus est, virtutes & officia Christianæ fidei memorat, & uxoribus quoque, juvenibus & virginibus, pietatem, & castitatem commendat in genere, *viduas* quoque, quarum meminit etiam Apostolus Paulus in epist. ad Timotheum, *diaconissas* itaque, adpellat θυσιαστήρια θεοῦ *altaria Dei*, quatenus Deo & cultui sacro dedicatæ sunt, & in precibus adsiduæ; nullum tamen verbum de virginibus, quæ nuptiis renunciarint, protulit in epistola, communi calculo adprobata, ad

a De non iter. conj. oper. t. I. p. 353. *b* hær. LXI. p. 511. *c* Ep. 62. ad Pompon. ed. nov. *d* Tom. III. p. 623.

ad Philippenſes; non omiſſurus utique, ſi inter virtutes & officia Chriſtianorum cenſuiſſet locum gerere debere virginitatem. Nusquam etiam Barnabas, antiquus quidem autor, ſed alius omnino ab Apoſtolo, vel Apoſtolico, illo nomine in Script. N. T. noto, viro, & eo recentior, in epiſtola ſua, quae in Patribus, ſic dictis, Apoſtolicis ſupereſt, virginitatem memorat, aut inter officia, quæ *viam lucis*, ut adpellat, abſolvunt, quorum longum contexuit *a* catalogum, locum dedit. De *caſtitate* vero, ſecundum receptam lectionem, hæc tantum habet: ὅσον δύνασαι, ὑπὲρ τὴν ψυχήν σου ἁγνεύσεις, *quantum potes ſupra animam tuam coles caſtitatem.* Quæ verba varie tentantur & explicantur; nec ferri poſſunt, ſive ad ſeriem orationis, ſive ad verba ipſa adtendas. Felicius quidem Cotelerio inſtituit Daviſius, legens, περὶ τὴν ψυχήν σου ἁγν. ut ſenſus ſit, animæ caſtitatem eſſe, quantum pote, excolendam: quod ſupra ex Ignatio & Clemente prolatis recte convenit, & hypotheſin noſtram de caſtitate, dono Dei extraordinario, firmaret; ſed nec phraſis admodum placet, nec, quid huc faciat illud monitum, adparet. Quare, ſi mei eſſet res arbitrii, pro ἁγνεύσεις legerem ἀγαπήσεις *diliges*, *A* ſcilicet *proximum*

a §. 19.

A Quod verbum lubens quoque Clementi ep. 2. §. 9. redderem, pro μετανοῆσαι legendo ἀγαπῆσαι *Dedamus*, dicit, *nos Deo medico, remunerationem ipſi tribuentes*, ποίαν; τὸ μετανοῆσαι ἐξ εἰλικρινοῦς καρδίας *reſipiſcere ex ſincero corde*, rectius utique ἀγαπῆσαι *diligere*; uti facile adparet. Quod ipſum *amare* intelligerem in phraſi ſequente: δῶμεν οὖν αὐτῷ αἰώνιον, *demus itaque ipſi æternum*, *ſc.* amorem.

mum tuum, ex proxime procedentibus: est enim in officiis erga eum commendandis, & plus semel habet, & in hoc ipso officiorum catalogo, ἀγαπήσεις *diliges proximum tuum* ὑπὲρ τὴν ψυχήν σε *supra animam tuam*, & in principio Epist. [a], secundum antiquam versionem Latinam, *ideo fors* (rectius *fratres*, ex conjectura Vossii, teste Clerico) *& ego cogito diligere vos super animam meam*; quod idem fere est, ac *quantum pote diligo vos super animam meam*; & rursus [b], *omnes amans super animam meam.* Denotat vero, uti facile patet, summum amoris gradum, usque etiam ad vitæ dispendium; quod, *animam pro fratribus dare*, est stilo Johannis [c]. Repetiit vero hic eandem sententiam alio paulo, ac in paulo præcedente, scopo ad summum liberalitatis gradum inculcandum; cujus proxime fecerat mentionem, dicens, κοινωνήσεις ἐν πᾶσι τῷ πλησίον σε, ἐκ ἐρεῖς ἴδια *communicabis* in *omnibus proximo tuo, nec quicquam dices proprium*: ita fere Ecclesiis Macedoniæ Paulus [d] promtitudinem hac parte tribuit κατὰ δύναμιν non tantum, sed & ὑπὲρ δύναμιν *supra vires.*

§. XV. Successione Apostolica, seu virorum Apostolicorum generatione, finita, Christiani nonnulli longe alio *continentiam* coeperunt considerare oculo, non simpliciter tanquam donum extraordinarium, nonnullis pro tempore datum, ut ad regnum coelorum in se & aliis promovendum essent aptiores, absque ut propterea reliquis sint perfectiores, aut præmium majus mereantur; verum tan-

a §. 1. b §. 4. c 1 Joh. III. 16. d 2 Cor. VIII: 3.

tanquam *virtutem* moralem, vel majorem perfectionem, quam ambire debeant, sponteque suscipere, & ope Dei consequi possint, si modo velint & omnibus viribus carni, ejusque titillationibus domandis incumbant. Quod qui fecerint, eos, sicut reliquis, conjugio utentibus etiam legitimo & licito, perfectiores & præstantiores, ita & Deo gratiores, & majorem gloriæ ac beatitatis gradum adepturos esse, statuerunt. Quam *doni* extraordinarii & *virtutis* in virginitate differentiam agnoscit Chrysostomus *a*, & pro *dono* tali non esse habendam disputat. Quæ hypothesis ab eo tempore invalescere coepit, ex quo libidinem carnalem qualemcunque, in carne residentem, habuerunt pro *vitiosa*, vel ex *lapsu* primorum hominum *orta*; & matrimonium, non tanquam per omnia bonum, sed minus malum, & libidinis concessum a Deo remedium, & ad genus humanum propagandum, considerarunt; sive, ut Petavii *b* verbis utar, non *quod usus conjugii malus ex sese sit, & labe aliqua contaminatus, sed quod cum virginum integritate comparatus maculæ instar habeat, tum quod nuptiarum opus sine concupiscentia & libidine non peragitur, quæ est macula quædam naturæ vitiosæ atque morbus.* Cui hypothesi acceptum ferendum est, quod 1. conjugalem usum a *permissione* Dei derivarint, ob violentiam libidinis; uti Tertullianus *c*, & alii: sic conjugatis dicit Basilius M. *d*, *condonari* a Deo libidinem & usum conjugalem.

2. Chri-

a de Virgin. oper. t. I. p. 295. *b* Dogm. Theol. de Incarnat. l. XIV. c. I. *c* ad uxor. I. c. 3. exh. cast. c. 3. monog. c. 3. *d* oper. t. III. p. 203.

2. Christianis non esse cum gravida uxore licitum concubitum, quia tunc pura esset libido, uti Athenagoras *a* & Clem. Alex. *b* opinati sunt. 3. *secundas* nuptias, de libidine nimia testantes, damnarint, tanquam honestum adulterium; ut Athenagoras *c*, Clem. Alex. *d* & alii; quorum prolixum contexuit catalogum Cotelerius *e*: satis est, inquit Tertullianus *f*, *uno matrimonio omnem concupiscentiam hujusmodi expiasse*, qui & postea *g* dicit, nuptias secundas *obstrepere* sanctitati.

§. XVI. Opinio vero de voluptate hac carnali vitiosa apud Gnosticos jam sub finem Sec. 1, uti notum est, invaluit ex perversa hypothesi de materia, sede peccati, & ex malo principio, non Deo bono & summo, orta. Sed ex quo Patres quoque Philosophiam, cui erant adsueti, cum doctrina Christiana copulare instituerunt, quod cum Justino Martyre incoepit, in eandem & ipsi delapsi sunt, a principio Gnosticorum malo quidem alieni, sed de *concupiscentia* carnali vitiosa, & qualicunque commercio cum carne, impedimento perfectæ unionis cum Deo, haud secus sentientes. Justinus enim M. ἄνομον γάμον *conjugium legi minus consentaneum* dixit propter *concupiscentiam*; de quo in *prima* Epistola disserui. Clemens quoque Alex., nuptias licet alias defendens contra Gnosticos, *voluptatem* tamen nudam in ipso congressu conjugali non veretur pronunciare vitiosam: Ψιλὴ γὰρ ἡδονὴ, hæc ejus verba sunt *h*, κἂν ἐν γάμῳ παραληφθῇ

παρὰ-

a Leg. §. 28. *b* Pædag. l. II. c. 10. *c* ibid. l. c. *d* Str. l. III: c. II. & 12. *e* ad Herm. Past. l. II. mand. 4. *f* ad uxor. l. I. c. 5. *g* ib. c. 7. & ubique; de *exh. cast.* & *monogamia*. *h* Pædag. l. II. c. 10. p. 225.

παράνομός ἐστι, καὶ ἄδικος καὶ ἄλογος. *Sola enim voluptas, si quis etiam ea utatur in conjugio, est præter legem, injusta, & a ratione aliena A.* Tertullianus diserte alibi *a* declarat *nuptias*, etiam primas & unas, ex *eo etiam constare quo & stuprum, ex commixtione carnis scilicet, cujus concupiscentiam Dominus stupro adæquavit.*

§. XVII. Hac opinione imbuti Christiani *virginitatem* & *coelibatum*, temporum circumstantiis, quibus continuæ imminebant adflictiones, quoque urgentibus, avide expetiverunt, &, si dono Dei non amplius dispensaretur, ipsi per corporis subactionem ac multiplicem luctam sibi comparare adnisi sunt; ad id spe majoris perfectionis & præmii ulterius excitati. Cum enim naturales cupiditates superare difficilimum, ipsamque quasi naturam exuere, & tantis deliciis vitæ renunciare, supremæ esset abnegationis sui, ac amoris Dei, signum & opus: præterea, quo major esset animi a commercio cum corpore separatio, eo etiam arctior cum Deo communio; quæ fuit Veterum communis hypothesis; cogitatio de majore quoque honore & mercede facile subnascebatur.

A Solam voluptatem non tantum damnat in conjugio adeundo, seposito generationis scopo, quod cum aliis habet commune, sed & in ipso conjugali usu qualicunque, ut verba docent, & illud confirmat, quod cum gravida omnem congressum damnet: sicut supra notavi. Concinit illud Augustini de *bono conjugali* cap. 10. *concubitus necessarius causa generandi inculpabilis & solus ipse nuptialis est. Ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur.*

a Exh. cast. p. 9.

tur. Videtur autem hoc *continentiæ* ſtudium, antea inter primos Chriſtianos ignotum, ab Eſſenis ad Chriſtum converſis, & Chriſtianis Philoſophia Græco-barbarica, ſeu Orientali & Aegyptiaca, imbutis, originem præcipue traxiſſe, & poſt tempora Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum ſenſim percrebuiſſe in Oriente, ac latius dimanaſſe. Esſeni enim ſive Therapeutæ, aut eorum ſimiles, teſte Philone *a*, per varias orbis regiones, præcipue per Græciam & Barbariam fuerunt diſperſi, ſed in primis circa Alexandriam degerunt. Cujus conjecturæ haud improbabiles mihi ſunt rationes; quarum aliquas ſtrictim recenſebo. 1. Viguerunt inter Eſſenos, adhuc Judæos, ſed ad eandem Philoſophiam deflexos, ſimiles hypotheſes ad hoc ſtudium ducentes. Alii eorum *vitam ſeveriorem exercebant*, teſte Joſepho *b*, τὰς μὲν ἡδονὰς ὡς κακίαν ἀποςρέφονται, τὴν δὲ ἐγκράτειαν, καὶ τὸ μὴ τοῖς πάθεσιν ὑποπίπτειν ἀρετὴν ὑπολαμβάνουσι. *a voluptatibus tanquam a ſcelere abhorrent, continentiam vero ſervare & cupiditatibus non ſuccumbere, pro virtute maxima ducunt*. Addit, *nuptias quoque apud ipſos deſpectui haberi*. Alii vero inter eos, eodem referente, eosdem mores & inſtituta tenentes, a nuptiis quidem non abſtinent, ταῖς δὲ ἐγκύμοσιν οὐχ ὁμιλοῦσιν, *ſed cum gravidis non coeunt*, *oſtendentes*, τὸ μὴ δι' ἡδονὴν, ἀλλὰ τέκνων χρείαν, γαμεῖν *quod nuptias non voluptatis ergo, ſed propter liberos faciant*. Conſentit hiſce Philo *c*, qui Eſſæos tradit agere τὴν παρ' ὅλον τὸν βίον συνεχῆ καὶ ἐπάλληλον ἁγνείαν *caſtitatem in tota vita perpetuam*: & inter Therapeutas, Eſſenorum pecu-

a Vit. cont. p. 690. *b* B. J. l. II: p. 8. *c* Q. O. P. L. p. 679.

peculiarem familiam, uti autumo, quoque memorat *a* *virgines vetulas non coactæ castitatis, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cujus studio per totam vitam contemserint voluptates corporis.* Ex hisce multos ad Christianam religionem, a qua per virtutis studium parum aberant, sese contulisse, easdemque opiniones & consuetudines, quantum religio Christiana permittere videbatur, secum tulisse, dubitare fas non est. Confirmat quoque, quod Veteres, ut Eusebius & alii, de Essenis fecerint Christianos; inter priores Essenos, sine dubio tempore Josephi & Philonis Judæos, Philosophicam vitam agentes, & inter posteriores, jam Christianos, non, uti oportebat, distinguentes. De quo pluribus possem disserere: sed illud solum observo ab Essenis institutum monasticum inter Christianos derivari a Sozomeno *b*, & aliis.

§. XVIII. 2. Nazaræi & Ebionitæ, Christiani quoque ex Judæis, præter circumcisionem & alia nonnulla instituta patria, idem continentiæ studium in principio sectati sunt; uti testatur Epiphanius *c*: ποτὲ γὰρ, dicens, παρθενίαν ἐσεμνύνοντο *olim de virginitate gloriari solebant, nimirum,* ita pergit, ob *Jacobum fratrem Domini, adeoque libros suos senioribus & virginibus inscribunt*, a quo instituto eos postea descivisse tradit. 3. Euangelium *Secundum Aegyptios*, quod Sec. II. jam vulgatum fuit, totum in continentiæ studio commendando versatum, ab Essenis Christianis fuisse confectum, non sine *probabili ratione conjecit* Cl. Beausobre *d*. Sed & diu

a Vit. cont. p. 695. *b* Hist. Eccles. l. 1. c. 12. *c* Hær. 30. p. 126. *d* Hist. Manich. l. II. c. 7. ad finem p. 456.

diu ante illud fuit subodoratus doctus profecto Theologus Chemnicius *a*. 4. Gnosticos, qui virginitatem, tanquam supremam virtutem, maxime urserunt, ex Judæis maximam partem fuisse ortos, plura evincunt, quæ nunc proferre non licet. Quod a Doctis etiam neglectum non est. 5. Adde, Justinum M., gentilem quidem sed patria Samaritanum, ex urbe Neapoli, alias Sichem, oriundum, Christianum factum opiniones illas de continentia, tanquam virtute maxima, valde ursisse & propagasse; adeo ut ex ipsius schola prodierit Tatianus, & ipse Syrus, Encratitarum Princeps, qui *barbaricam*, uti ipse testatur; seu Hebræam, est sectatus Philosophiam. Clemens quoque, qui Alexandriæ docuit, etsi conjugium defendat, ab iisdem principiis immunis non fuit. De quo supra dixi. Continentibus quoque, quos *eunuchos* adpellat, μείζονα ἀξίαν ἐν θεῷ *majorem apud Deum dignitatem* tribuit *b*. Quod & Methodius *c*, primum in Lycia, dein Phoenicia, Episcopus circa fin Sec. III., in conjugium licet æquior, fecit: nec non Origenes *d*.

§. XIX. 6. In eadem denique, ne plura proferam, officina cusam fuisse, præter acta Theclæ, & alia similia apocrypha, posteriorem, sic dictam, Clementis Epistolam, vehemens me tenet suspicio, in ipso ejus argumento, quod in prima Epistola exposui, & citatione Euangelii *secundum Aegyptios*, in primis fundata. Indicat quidem, se ad eos per-

a Exam. conc. Trid. p. III. p. 50. *b* Strom. l. III. p. 546. *c* Conv. x. virg. or. II. p. 76. ed. Combef. & or. IV. p. 90. VII: p. 103. VIII. p. 108. *d* hom. XIX. ad Jerem. p. 188. ed. Huet.

pertinere, qui a Gentilismo ad Christianismum transierunt, de quo mox; sed Orientalium Christianorum & Essenorum se imbutum fuisse de continentia hypothesibus, & euangelio secundum Aegyptios, tanquam genuino, fuisse usum, manifestum est. Illud utique mihi vix amplius dubium videtur, alium a Clemente eum fuisse, & eo recentiorem, licet antiquum valde auctorem. Praeterquam enim quod Dionysius, Episcopus Corinthiorum, teste Eusebio [a], unius tantum meminerit Clementis Epistolae, de quo in *prima* egi epistola, & Veteribus altera illa fuerit ignota, eodem Eusebio [b] adfirmante, & nemine Veterum eam citante, quae Grabius [c] jam protulit, & propterea epistolam hanc Clementi abjudicavit: alia ex ipsa Epistola sese mihi obtulerunt, quae hanc opinionem haud parum corroborant.

§. XX. 1. Autor sese in principio [d] mox clare prodit origine gentilem, & ab idololatria ad fidem Christi conversum; cum Clemens fuerit origine Judaeus; uti probabile est ex eo, quod, Jacobum *patrem nostrum* adpellans in Epistola sua ad Corinth. [e], se iis adjungere videatur, quorum Pater fuit Jacob secundum carnem. Veteres vero eum gentilem fecisse videntur ex confusione cum Flavio Clemente, Consule Romano, etiam Christiano; uti ex *Clementinis* constat 2. Quo tempore autor noster vixit, Christianismus inter Gentiles numerosissimus erat supra Judaeos, *plures*, dicit [f], *facti sumus iis, qui Deum habere censentur*; sc. Judaeis; quo locum Jes. LIV. 1. retulit. Quod in tem-

[a] H. E. l. IV. c. 23. [b] Ib. l. III. c. 38. [c] Spic. P. Sec. 1. p. 265. [d] §. 1. 2. [e] §. 4. [f] §. 2.

tempora Trajani & sequentium Imperatorum; quibus Ecclesia demum longe lateque propagata est inter Gentiles, uti Eusebius[a] & Lactantius[b] testantur, & aliunde etiam liquet, rectius quam in Clementis quadrat; licet, magnam jam tum fuisse Christianorum copiam, non iverim inficias. De quo hic non est agendi locus. 3. Euangelii verba ex Matt. ix: 12. proferens[c], præmittit, ἑτέρα δὲ γραφὴ λέγει *alia quoque scriptura dicit:* secus plane ac solet Clemens; qui de Veteris tantum Test. libris non de Euangeliis aut Epistolis Apostolorum ita loquitur. De quo alibi[d] disserui. 4. Christi *divinitatem* cum expresse inculcet, & Domini non tantum, sed & *Dei* titulum ei dandum esse contendat[e], sicut se a Clemente diversum eo ipso profitetur, is enim nusquam id data opera in Epistola sua fecit, nec alio ac *Domini* titulo eum ornavit, licet hic illic se divinitatem Christi agnoscere insinuet; quod hujus auctoris & Clementis discrimen Photius[f] quoque observavit; ita, suo tempore minus recte de Christi divinitate nonnullos Christianos statuisse ac locutos fuisse, haud obscure significat. *Fratres*, ita mox incipit, *ita sentire nos oportet de Jesu Christo*, ὡς περὶ Θεοῦ *tanquam de Deo, tanquam de judice vivorum & mortuorum, nec decet nos humilia sentire de Salute nostra*, &c. Quales homines non nisi *Seculo* II. exortos fuisse inter Christianos, multa docent. Cerinthus quidem antea, sed sub finem tamen Sec. I, adeoque post Cle-

a H. E. l. iv. c. 2. *b* Mort. pers. c. 3. *c* §. 2. *d* De titulo Epist. ad Ephes. cap. 5. p. 349. *e* §. 1 — 3. *f* Bibl. cod. 126.

Clementis mortem, Jesum inter & Christum nimium distinxit, *illum* nudum hominem ex Maria & Josepho, instar aliorum hominum, natum, & *hunc*, summi Dei emanationem, seu λόγον *Sermonem*, cum Jesu homine fuisse usque ad passionis tempus unitum, sicut Spiritus S. cum Prophetis, censens: sed *divinitatem* in ipso non directe negavit, nec *Deum* adpellare recusavit. *Ebionæi* quoque si non rectius & sanius in principio, utique non pejus, *consimiliter* ut *Cerinthus*, opinati sunt, uti Irenæus [a] tradit. Postea ulterius prolapsi sunt, & Christum pro *nudo homine* habuerunt. De quo plura haberem dicenda, si scopus ferret.

§. XXI. 5. Aliud indicium diversorum auctorum exhibere mihi videtur singularis pericopa, quæ in nostra Epistola [b] ita habet: *dicit enim sermo propheticus; miseri sunt animo duplices, qui corde incerti sunt; quique dicunt, hæc omnia etiam audivimus a Patribus nostris; nos vero diem de die exspectantes, nihil horum vidimus; amentes, comparate vos arbori, sumite vitem; primo quidem foliis diffluit, deinde germinat, postea uva acerba oritur, indeque uva matura; ita & populus meus agitationes & pressuras tulit, dehinc vero bona excipiet.* Occurrit eadem pericopa in Epistola priore Clementis [c], sed cum notabili discrimine, non tantum quod ultima verba, *ita & populus meus* &c. ibi deficiant, sed inprimis, quod verba Clementis autor noster cum verbis Scripturæ propheticæ confuderit; omnia enim hæc verba tanquam *Sermonis prophetici* considerat, uti ex ultimis manifeste adparet, *ita etiam populus meus* &c.

[a] adv. hær. l. 1. c. 26. [b] §. 11. [c] §. 23.

&c. Sed Clemens non nisi hæc verba ex scriptura citavit; *miseri sunt animo duplices, & corde incerti*; reliqua omnia sunt ipsius Clementis, quibus partim *dubios* illos depingit, partim refutat: ad eorum characteres ducendos hæc pertinent, *οἱ λέγοντες qui dicunt*, scilicet, illi ipsi miseri & dubii sunt, qui hoc in ore habent: *hæc audivimus etiam a Patribus nostris, & ecce consenuimus, & nihil horum nobis accidit.* Quæ ipsius Clementis sunt, & non ex Scriptura, similia aliqua ratione verbis Petri 2 Ep. III: 4. nec tamen inde petita, ut ex conparatione facile patet; sed, uti ibi Petrus, ita hic Clemens verba eorum exhibet; neuter ex scriptura aliqua. Habuit vero auctor noster Clementis verba ante oculos; sed perverse accepit, ac si *Sermonis Prophetici* essent omnia; & ideo addidit, *ita etiam populus meus*, &c. Ex quo, ni fallor, non unum eundemque, sed diversos esse utriusque Epistolæ autores, & nostrum Clemente recentiorem, qui Epistolam ejus in manibus habuit, elucescit. Dubito etiam, num autor noster verba Clementis, *longe a nobis sit ἡ γραφὴ αὕτη scriptura hæc; miseri sunt animo duplices, & corde dubii*, recte de *Sermone prophetico*, uti ipse habet, interpretatus sit, cum ad qualemcunque potius *scripturam* phrasis ducat. 6. Hisce si addatur, euangelium *secundum Aegyptios*, tanquam genuinum Euangelium Christi a nostro citari, cujus nullum vestigium apud Clementem occurrit; & omnimodam continentiam ubique commendari tanquam virtutem & perfectionem summam, de quo in *prima* Epistola disserui; quam Clemens longe aliter

consideravit, uti supra exposui; quid plus ad autores distinguendos requiratur, non video.

§. XXII. De auctore Epistolæ nihil ante statui, nec statuo etiamnum. Illud, hac occasione, non abs re fuerit, monuisse, quia Cl. Wetstenius mentem meam minus recte percepit, 1. autorem a me non haberi Cassianum, aut aliquem ejus sectæ; cum veram in Christo carnem, & corporum resurrectionem agnoverit: secus ac Docetæ, quorum præcipuus fuit Cassianus. 2. eum virginitati, pure & pie actæ, regnum quidem coelorum tanquam præmium adsignasse; sed conjugatos, modo præcepta Christi observent, & castitatem in conjugio tenuerint, propterea non damnasse, aut vita æterna exclusisse; cum quod distinguat inter eos, qui *coronantur*, & qui ἐγγὺς τῦ στεφάνυ *prope coronam sunt*, uti in Epistola ad Cl. Wesseling non neglexi notare; tum quod per eos, qui *mundo non renunciarunt*, & carnem non *servarunt castam*, & propterea damnandi sunt, non intelligat qualescunque, qui virgines non fuerint, sed partim virginitatis professæ prostitutores non resipiscentes, partim omnes alios in genere, qui mundo & carni servierint, & præcepta Domini neglexerint; non itaque conjugatos pios, & Domino in conjugio, licet minus perfecte, adhærentes. Quam commodam interpretationem cum Patribus, in virginitatis laudes sæpe nimis sese effundentibus, ipsis Encratitis & Manichæis, non denegemus, uti Cl. Westenius ipse recte advertit; nec huic autori neganda erit. Secularem vitam degentes, alii sunt, ut verbis Macarii Aegyptii *de libertate mentis a*

hanc

a cap. 37. p. 219.

hanc rem illustrem, & concludam, *materialibus implicati curis, & secularium nexibus negotiorum vincti, & neque divino timore firmati, nec ullum curantes exercere beneficentiæ aut virtutis opus*, qui toti in tenebris sunt, alii vero *secularem utcunque degentes vitam, tamen, uti dictum est, a mandatis sanctis, velut a quibusdam illuminati stellis, fidei & timori Dei adtendentes, qui sane non prorsus comprehensi sunt tenebris, unde & spem salutis habere possunt.* Quæ si ad nostrum hunc autorem adplicentur, nihil amplius difficultatis relinquent.

§. XXIII. Essenorum vero hypotheses de conjugio & continentia, ut filum repetam, quod dixerim in Ecclesiam post tempora Apostolica majore cum successu irrepsisse, ne quis miretur, aut tanquam singulare quid respiciat; notari velim, nec privam hanc & aliis ignotam esse meam opinionem, nec hoc demum tempore illud tentasse Judaizantes Christianos: sed ipsis Apostolorum temporibus idem fuisse, at frustra, conatos. De quo legi merentur, quæ eruditus & insignis Theologus Chemnicius [a] disseruit Mihi enim hic non licet esse prolixiori. Philosophiam Orientalem & Aegyptiam, tunc receptam, sicut Essenos, ita & alios Christianos ex Gentilibus, infecisse, ab aliis abunde evictum est. Nostra e re fuerit observasse, institutum hoc asceticum in Oriente primum radices egisse, sicut & Sec. IV. monachatum, serius in Occidente, nec defuisse Sec. II., qui se ei opposuerunt. Inter quos præcipue eminuit Dionysius Corinthiorum Episcopus, præsul longe celeberrimus,

[a] Exam. conc. Trid. p. III. g. 48. &c.

mus, circa a. 170.; cujus in Epistola [a] ad Gnossios salutare exstat monitum, quo Episcopum eorum Pinytum admonet, μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι, τῆς δὲ τῶν πολλῶν καταστοχάζεσθαι ἀσθενείας, *ne grave onus castitatis cervicibus fratrum tanquam necessarium imponat, sed ejus, quæ in plerisque hominibus inest, infirmitatis rationem habeat.* Respondit Pinytus inter alia, se petere, ut Dionysius *solidiorem cibum impertiat, ne in disciplina infantili consenescant* Christiani. Ex quo recte colligitur, Pinytum, in Creta episcopum, coelibatum pro perfectiore & solidiore cibo habuisse, & propterea introductum voluisse, utique inter Clericos; verum Dionysium longe aliter de eo sensisse, pro *gravi* & inutili jugo potius habuisse, nemini præscribendo. Dionysii monito plane concinit, quod Ignatio apud J. Damascenum tribuitur, & inde a Grabio [b] excerptum est, παρθενίας ζυγὸν μηδενὶ ἐπιτίθει *virginitatis jugum nemini impone, periculosa enim res est, quamque servare difficile sit, maxime cum ex necessitate fit.* Inter ipsos Gnosticos quoque adhuc fuerunt, qui de *coelibatu* sanius tulerunt judicium. Utique Basilidis sectatores apud Clementem Alex. [c] non adprobarunt nisi in illis, qui vel naturaliter aversabantur foeminam, quos a Domino fuisse *Eunuchos a nativitate* dictos censuerunt, vel qui ad conjugii molestias declinandas abstinent, ut liberius vacarent rebus Divinis, quos *Eunuchos propter regnum cælorum* a Domino fuisse adpellatos statuerunt; *cæteros* improbarunt, qui sibi ipsi vim faciebant, ut continentiam præferant

a Apud Euf. H. E. l. IV. c. 23. b Sp. P. Sec. II. p. p. 24. c Str. L. III. init.

rant, quales scite ab ipsis ibi nuncupantur θεατρικοὶ ἀσκηταὶ, οἵτινες διὰ τὴν ἀνθολκὴν τῆς εὐδοξίας κρατῦσιν ἑαυτῶν *theatrici exercitatores*, qui *gloriæ studio retracti se continent*. Quibuscum comparari possunt, quæ de diversis *continentium* generibus habet Pseudo-Athanasius, qui recenset *a certos*, quos *Deus protegit*, aut qui *frigidi temperamenti sunt*, aut qui διὰ πολλῆς ἀσκήσεως ἑαυτὲς βιαζόμενοι *multa exercitatione sibi vim faciunt*, aut *superbiam habentes casti sunt*. Primum genus tantum notum fuit ævo apostolico, *tertium* deinceps in lucem prodiit inter Christianos. Opinio antiquissima de *virginitate*, tanquam peculiari dono Dei, in Oriente nondum obsolevit Sec. III. & IV. licet pura non fuerit conservata. Utique virginitatem a Paulo Apostolo considerari θεοδώρητον *Dei donum* agnoscit Methodius *b*, qui & mox *c* inter χαρίσματα *dona* refert; *A* & alibi *d*, *non omnibus illum tradi Eunuchismum*

a Oper. Athan. t. II. p. 293. *b* conv. x. virg. or. III. p. 86. *c* ib. p. 88. & or. VII. p. 102. *d* ib. or. II. p. 76.

A Ita inter charismata refert quoque auctor Const. Apost. l. VIII c. I. præter *Sermonem scientiæ*, *rationem discernendorum Spirituum*, *præcognitionem futurorum* &c ἐγκράτειαν ἔννομον *continentiam legitimam*, sive opposite ad γάμον ἄνομον, ut Just. Mart., de quo in *prima* Epist. egi; aut τὴν δοκῦσαν ἔννομον —— τῶν ἡδονῶν μετουσίαν, ut Greg. Nyss. de Virgin. oper. t. III. p. 139. sive potius ad Encratitarum opinionem, qui *continentiam* tenebant ἐπὶ διαβολῇ τῦ γάμυ *ad criminationem matrimonii*; *ut continentia legitima* sit, quæ fit ἐπὶ σχολῇ τῆς εὐσεβείας, uti mox sequitur in Const. Ap. cap. 24. Vixit autem autor hujus διδασκαλίας seu pericopæ constitutionum Sec. III., quia apud Hippolytum reperitur oper. p. 245. ed. Fabric. & Clementis Rom. locum supra productum in oculis habuit; ut ex collatione facile patet.

mum adſerit, *ſed illis duntaxat, qui & ſemper virentem & incontaminatum virginitatis florem ſervare valent.* Diſtinxit quoque [a] inter eos, qui omni *cupiditate* carnali ſunt ſuperiores, & qui ejus oeſtro jactati ſervabant per multum certamen continentiam, quorum priores dicit *Spiritum* S. ſemper in ſe habere habitantem. In eandem plane mentum Caſſianus [b], Sec. v., adhuc diſſeruit, inter ἐγκρατῆ *continentem* & ἁγνὸν *caſtum* ita diſtinguens, ut hic ſit, qui ſingulari Dei dono ab omni impugnatione concupiſcentiæ liber eſt, uti uterque Johannes in N. T., *ille* vero, qui *inpugnationem carnis, quam vel raro vel quotidie ſuſtinet, ſeu metu gebennæ, ſeu deſiderio regni coelorum exſtinguit, atque compeſcit. Habuit quoque* [c] *continentiam* in conjugio pro *ſpeciali munere, paucis conceſſo.*

§. XXIV. In Occidentem itaque opinio de caſtitate virginea, tanquam virtute, aut perfectione majore, nondum Sec. II. penetraſſe, aut multos infeciſſe videtur, cum Dionyſium Corinthium, poſt medium ſec. florentem, eam Pinyto diſſuaſiſſe ex dictis adpareat; nec Irenæus, Lugdunenſis Præſul, in eam conſenſiſſe videatur. Admittit quidem [d], Apoſtolum Paulum conceſſiſſe nuptias propter quorundam incontinentiam, ſicut Moſes divortia permiſerat; ſed illud cum Cl. Barbeiracio [e] non ad nuptias in genere extenderim, verum ad eas tempore Pauli, & ejus conſilia pro eo tempore reſtrinxerim; adeo ut Paulus, ſicut antea Moſes, nuptias, quas diſſuadebat, tamen in-

[a] Or. x. p. 139. &c. [b] de Inſtit. coenob. l. vi. c. 4-6. & Coll. vii. c. 2. xii. c. 3. &c. xv. c. 10. [c] Coll. xiv. c. 7. [d] Adv. hær. l. iv. c. 15. [e] mor. des Per. c. 3. p. 23.

incontinentiæ ergo permiserit, secundum Irenæum. Verum quidem est, Adamum & Evam ex mente Irenæi fuisse ob omni cupiditate conjunctionis carnalis immunes ante lapsum, & virginum in statu mansisse ad illud usque tempus; sed & illud observandum est, primos parentes fuisse, secundum ipsum, non *in adulta ætate*, conjugio maturos, creatos; sic enim ipsis verbis loquitur[a], *erant utrique nudi in Paradiso*, *& non confundebantur, quoniam paulo ante facti, non intellectum habebant filiorum generationis, oportebat enim illos primo adolescere, dehinc sic multiplicari*. Tantum inordinatam accessisse libidinem post lapsum admisit, quæ puerilem sensum, & indolem finitam, excepit per inobedientiam: *condignum inobedientiæ amictum fecit*, inquit, rationem foliorum ficulneorum sumtorum daturus, *conterritus timore Dei*, & *retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem & puerilem amiserat sensum, & in cogitationem pejorum venerat, frænum continentiæ sibi & uxori suæ circumdedit*, &c. Illud utique certum est, Irenæum[b] Encratitas damnare, quod ἀγαμίαν ἐκήρυξαν, ἀθετῦντες τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τῦ Θεῦ, καὶ ἠρέμα κατηγορῦντες τῦ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ εἰς γέννησιν ἀνθρώπων πεποιηκότος, *abstinentiam a nuptiis adnunciaverint, frustrantes antiquam plasmationem, & oblique accusantes eum, qui masculum & feminam ad generationem hominum fecit*: sicut & ibidem mox reprehendit Tatianum, quod τὸν γάμον *nuptias* dixerit φθορὰν *corruptelam*. Accedit, Ipsum nusquam commendasse aut extulisse virginitatem, tanquam perfectionem moralem,

a Ib. l. III. c. 22. b Ib. l. I. c. 28.

lem, quantum recordari possum. Ex quo quam male in Clementem Romanum conveniant, quæ de virginitate in Epistolis Wetstenii occurrunt, ulterius confirmatur.

§. XXV. Longius adhuc a Clementis persona, ejusque tempore, abest virginitatis *professio*, sive Deo soli, sive etiam Ecclesiæ vel ejus Præpositis fiat: cum toto seculo II. nusquam ejus occurrat mentio; nec desint, quæ contrarium demonstrant; de quo, præter alios, consulendus est Dodwellus *a*: qui fabulam Domitillæ, a Clemente Romano velatæ, quoque explosit. Primus *votum continentiæ* memoravit Tertullianus *b*, & inter Græcos Methodius *c*. Quid? quod ne quidem *viduæ*, nisi *sexagenariæ*, fuerint tanquam sacræ, ordinante Apostolo Paulo *d*, admissæ, nec virgines, nisi *viduæ dictæ*, uti Ignatii *e* phrasis habet, notæ. Ne Cypriani quidem tempore virginitatis professio absolute prohibebat matrimonium; quod supra jam notavi. *Juniores viduas*, si nuptias contrahunt, *priorem fidem* violare declarat quidem Apostolus, 1 Tim. v: 12. Sed nec *fidem* de viduitate servanda, uti Pontificii, nec priori Marito datam, uti præter alios Dodwellus *f*, sed vel fidei Christianæ in genere, uti contendit Chemnicius *g* & egregie disputat, vel pietatis & modestiæ professionem, quam, ut ab Ecclesia sustentarentur, promiserant, intelligit opposite ad *luxuriam* & petulantiam contra Christum, cujus modo meminerat. De voto con-

a Ad Pearson. Succ. P. P. R. p. 181. &c. *b* De veland. virg. c. 11. *c* conv. x. virg. or. v. p. 91. &c. *d* 1 Tim. v: 9. *e* ad Smyrn. fin.
f ad Pearson. opera posthuma p. 208. *g* exam. conc. Trid. p. 111. p. 31.

continentiæ non agi luculenter evicit Chemnicius: quod mihi hic sufficit. Votum seu professio virginitatis eo longius a mente Apostolorum & Apostolicorum virorum abest, quod virginitatem tanquam donum extraordinarium, uti supra adfirmavi, fuerint contemplati; cui votum continentiæ plane non convenire, nemo non videt.

§. XXVI. Subjungamus unum alterumve factum historicum, in his Epistolis Wetstenii obvium, sed a Clementis persona, ut videtur, alienius. 1. Primum est, quod autor se ipse virginibus fratribus adnumeret; & suum exemplum illis, in omni conversatione imitandum, proponat, non sine aliqua arrogantia. Concludit enim inter alia [a], *quicunque novit Dominum, audit nos & qui non est ex Deo, non audit nos. Clementem* fuisse per omnem vitam coelibem tradit quidem *interpolator* epistolarum Ignatii [b]; sed nec, quo fundamento? scio, nec cum ipsius Clementis confessione consistere potest, si, quæ in prima persona in Epistola ejus ad Corinthios efferuntur, ad ipsum quoque referre, ut oportet, si nihil obstet, liceat, cum, licet nomine Ecclesiæ Romanæ, ipse tamen eam scripserit, & ad se subinde expresse digitum intenderit; uti in verbis [c], *si propter me seditio, & discordia & schismata, discedo, abeo*, fieri, Epiphanius [d] statuit; Loquitur autem de *uxoribus* & *liberis nostris*; quum dicit; *uxores nostras ad id, quod bonum est, corrigamus* ——— *liberi nostri disciplinæ Christi participes sint*, &c. Quo loco eandem in rem usum fuisse

[a] Ep. II. p. 27. [b] ad Philad. §. 4. [c] §. 54. [d] hær. XXVII.

se Sam. Basnagium *a*, postea observavi. Cui nescio num quid roboris addat, quod *Clementi* adjungatur *Grapte*, apud Hermam *b*; qui jubetur *libellos* suos mittere, alterum *Clementi*, alterum *Graptæ*, ut ille in *exteras civitates mittat*, hæc vero *commoneat viduas & orphanos*. Cujus rei melior reddi vix posse videtur ratio, quam quod Grapte fuerit Clementis uxor, *viduabus* & *orphanis* erudiendis vel curandis intenta. Memoratur vero Grapte quaedam proselyta Judæa, Izatæ regis Adiabenorum consanguinea apud Josephum *c*; de cujus genere & hæc potuit fuisse. Quæ tamen nuda est conjectura; cujus nullum est, nisi in nomine, fundamentum, non penitus quidem spernendum, cum nomen sit singulare; sed inter Romanos non plane ignotum, *libertis* tamen communius, ut ex indice Gruteri constat. Quod ad alterum adtinet, cujus mentionem feci; spirat Clemens in Epistola sua, spirant & reliqui Apostolici Ignatius & Polycarpus, majorem modestiam longe, quam ut in exemplo suo præscribendo Apostolis se æquaverint, nedum iis se prætulerint: uti hic autor verbis productis facit. Quod verbo tetigisse, satis est.

§. XXVII. 2. Secundum specimen hæc de *Johanne* Apostolo verba suppeditant in Epistola priore *d*: *rursus Johannes, qui cecidit super pectus Domini, qui dilexit eum valde, etiam sanctus fuit; non enim frustra dilexit eum Dominus.* Recenset itaque Johannem non tantum inter coelibes, vel, ut hic autor loquitur, *virgines*; sed & cum de eo, tanquam qui *jam fuit*, loquitur, tum virginitatem ejus ex

a Diss. VII. in annal. Polit. Eccles. t. II. p. 525.
b lib. I. vis. 2 fin. *c* B. J. l. IV. cap. 9. *d* §. 6.

ex eo demonstrat, quod *Dominus eum dilexerit.* Quæ omnia a Clementis persona mihi abhorrere videntur. Fuit enim 1. Clemens Johanni non tantum æqualis, quod omnes agnoscunt, sed &, uti ego cum Pearsono & Dodwello, ac aliis, opinor, aliquandiu ante eum mortuus. De quo autores *a* citati legendi sunt. Hujusne est, de Johanne scribere? *sanctus fuit*; est ne ei consonum? rationem adserti a *dilectione Domini* petere, cum Johannes in vivis adhuc erat, & omnibus notus. Loqui vero auctorem de Johanne jam mortuo, ex phrasi, quam recte vertit Cl. editor, non tantum adparet, sed & ex eo firmatur, quod eadem phrasi de Johanne Baptista modo dixerat, *Angelus, Sanctus Domini, virgo fuit*; nec non quod, Paulo & aliis additis, subjungat in genere; *eos omnes*, modo memoratos, *cursum suum absolvisse sine macula.* Quod ipsum de cunctis Apostolis in fine *b* ep. *posterioris* repetit. 2. Virginitatem Johannis pro causa majoris dilectionis Domini haberi, ut verba, *non enim frustra dilexit eum Dominus*, requirunt, quis in Clemente, virginitatis neutiquam præcone, uti supra vidimus, ferat? quem in alio, qui non omnia in laudem virginitatis corradit, prudente viro, non offendat? Quis non recentioris autoris, ut Hieronymi, qui contra Jovinianum ita ratiocinatur, subodoratur stylum? *Dilectum discipulum* inter virgines quidem memorat Interpolator *c* Ignatii, sed *dilectionis* rationem inde non repetit diserte: nec, qui *tribus* prioribus seculis ex Patri-

a de Succ. P. P. R. diss. 1. c. 6. *b* p. 27.
c ad Philad. §. 9.

tribus ita ratiocinatus sit, mihi notus est ullus. *Sunt qui senserint*, inquit Augustinus [a], *& hi quidem non contemtibiles sacri eloquii tractatores*, (in oculis habet Hieronymum) *Christo Johannem Apostolum propterea plus amatum, quod neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit*. Adoptavit inter alios Cassianus [b], sed jam ante illum idem statuit Ephræm Syrus [c], *Johannem* per castitatem virgineam tradens *meruisse super pectus Domini Gloriæ recumbere*. 3. Ipsa denique Johannis *virginitas* nescio an se satis tueri poterit? Ante Tertullianum inter Latinos, & interpolatorem Ignatii inter Græcos, nemo Catholicorum illud, quod sciam, de Johanne tradidit. Tertullianus vero jam Montanista, & acerrimus virginitatis patronus, *Johannem* adpellat [d] *Christi Spadonem*, sed num Baptistam, an Apostolum? incertum: cum de illo æque ac de hoc intelligi possit. Interpolator vero Ignatii utriusque diserte meminit, alterum *Baptistam*, alterum *dilectum discipulum* adpellans: sed cujus ævi fuerit is autor, nisi quod tribus seculis fuerit posterior, non constat. Tertullianus vero quam levi tibicine nixus id adfirmaverit, ex ejus verbis percepisse operæ pretium fuerit. *Petrum solum invenio maritum per socrum*, ita sonant [e], *monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ, super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Cæteros cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.* Ex quo illud constare puto, ex traditione, cujus tam sedulus fuit investi-

a Tract. 124. in Joh. §. 7. b Coll. XVI. c. 14. c Paræn. 36. oper. t. II. 133. ed. nov. d de Monag. c. 17. e ibid. c. 8.

ſtigator, de eo nihil fuiſſe notum. Reliqui Patres ſe in primis cum in dilectione Domini præ reliquis Apoſtolis fundaruut, uti modo notavi, tum in morte Johannis, potius *dormitione* placida, quam *morte* dicenda; quia per continentiam perfectam nihil habebat, morte eluendum; ab omni *concupiſcentia* carnali, lapſus cauſa & principio, adeoque *mortis*, ſecundum multos Veterum, immunis. Hieronymus, verbis Domini ad Petrum de Johanne citatis, unde opinio nata erat eum non moriturum, ita pergit [a], *ex quo oſtendit, virginitatem non mori; nec ſordes nuptiarum ablui cruore Martyrii, ſed manere cum Chriſto, & domitionem ejus tranſitum eſſe, non mortem.* Quæ eadem cum in apocryphis Melliti & Abdiæ, ex Leucii, famoſiſſimi illius falſatoris ſec. 11. & virginitatis ſtatoris, libellis confictis proſtant; hinc totam illam de Johanne virgine fabellam eſſe natam, non ſine veri magna ſpecie conjecit Doctus Manichæismi enarrator, Beauſobre [b]. Iisdem vero principiis cum autor Wetſtenii inſiſtat, ſicut vidimus; quid de eo habendum ſit, non eſt in obſcuro. Cum vero reliqui Apoſtoli Domini, qui ipſius latus in vita clauſerunt, fuerint uxorati, de quo mox, *Johannes* quare excipiatur, nulla ratio eſt. Neſcio etiam num, Johanni fuiſſe uxorem, & mandato Domini, quo Johannes matrem Domini, ſibi commendatam, receperit *εἰς τὰ ἴδια in propriam domum*, & ipſi phraſi, non ſit convenientius?

§. XXVIII. 3. Revocemus & ſequentem pericopam, quam mox ſubjungit, ad animum, quæ ita

a Adv. Jovin. l. 1. p. 26. b Hiſt. Manich. l. II. c. 6. p. 412.

ita habet *a*. *Porro Paulus & Barnabas, & Timotheus cum ceteris, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*, sc. etiam sancti fuerunt. Ubi adverti velim a. ipsum *Clementem*, inter ceteros illos alios, autori in animo fuisse: ejus enim expressa fit mentio in ep. Pauli ad Philipp. IV: 3. unde hæc verba, *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*, desumsit. Alius itaque a Clemente illo fuerit noster, dubio vocat; cum se ipse eo non ornasset elogio, & de illis omnibus, Clemente itaque etiam, mox dicat, eos *cursum suum absolvisse*. Solet vero Clemens Romanus pro illo, qui a Paulo laudatur, haberi. b. *Paulum*, *Barnabam* & *Timotheum* conjunxisse & expresse nominasse; cujus alia aptior nequit reddi ratio, ac quod Paulus de se & Barnaba, 1 Cor. IX. id adserere videatur, & Timotheus a vino abstinere legatur 1 Tim. v. 23. adeoque inde fuerit *asceta* habitus, qui a nuptiis æque ac vino sibi cavere solebat. Ex quo, autorem ex epistolis Pauli hæc derivasse, colligi posse videtur. c. Apostolos omnes, ex mente hujus auctoris, fuisse coelibes vel continentes: phrasis enim generalis est, cum *ceteris aliis*, sic enim textus Syr. proprie habet, *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*, & alibi *b* de *Apostolis* in genere illud adfirmat, quod hic tradit. Quod cum ipso Paulo, & tota antiquitate, difficulter in concordiam redigitur. Pauli utique verba, 1 Cor. IX. 5. *Nonne potestatem habemus sororem Uxorem circumducere, sicuti reliqui Apostoli, & fratres Domini*, & *Cephas*, quæ non nisi de *uxore Christiana*, vi & usu vocum in Scriptura, intelligi queunt, reliquos Apostolos uxo-

a Ep. 1. §. 6. *b* Ep. 11. §. 15. fin.

uxores habuisse, & secum circumduxisse, clare significant. Quod cum a Protestantibus, quorum aliquos recensuit Cl. Wolfius *a*, quibus addo præclaros Theologos Chemnicium *b* & Calixtum *c*, dudum fuerit peractum, non est, quod actum agam. Paulus num habuerit uxorem, nec ne, hoc ipso tempore? ex hoc loco definiri nequit; utrumque enim, salvo sensu loci, statui posset. Si caruerit, diceret, sibi quoque licere *ducere*, & dein circumducere uxorem; si nexu matrimonii junctus, jus circumducendi, cui nunc renunciaverat ob certas rationes, sibi tantum adsereret. Quod posterius, tanquam ratiocinio congruentius, prætulerim, quicquid contra disputet post alios Cl. Heuman *d*, de quo nunc disputare non licet; si cum cap. VII: 7. 8. consistere possit. Quod num queat, altioris est indaginis, & longioris discussionis, quam scopus permittit. Illud unum observabo, Apostolum se eo in loco nec tanquam abstinentiæ mariti ab uxore, nec vidui status, sed in genere dono continentiæ præditi exemplum proponere. Vocat enim æque conjugatos ac viduos ad suum exemplum, & utrosque vellet sui esse similes; uxoratos vers. 7. & viduos vers. 8. cum tamen alterutrum tantum fuerit necesse est. Quod rectius conciliari nequit, quam ex nostra hypothesi de dono continentiæ; ipsi concesso; per quod & ab uxore tangenda, & ab ea ducenda sibi cavere possit, ut muneri demandato majore studio & suc-

ces-

a Cur. Phil. ad h. l. *b* Exam. conc. Trid. p. III. p. 41. *c* de conjug. Cleric. p. 18. *d* Poecil. T. I. p. 331.

cessu incumberet. Hac ratione conjugatis dicere potuit, *vellem omnes esse sicut me*, vers. 7. & viduis quoque, *bonum est, si ita maneant ut ego*. vers. 8. Ceterum, quod solum addo, sensus vers. 7. non est, Paulum malle omnes ab uxoribus, quod commodum vix admittit sensum Apostolo dignum, sed omnes ab *ἀκρασίᾳ infirmitate illa carnali*, quæ ad usum conjugalem cogit, cujus modo meminerat, esse immunes, uti ipse erat; cui sensui apte convenit, quod subjungit, *sed quisque proprium donum habet a Deo, alius aliter*. Quo scholion Chrysostomi, cujus mentionem injicit Cl. Wetstenius in variis lectionibus ad hunc locum, tendit, ἐν ἐγκρατείᾳ δηλονότι. Cum vero Paulus sui imitationem non *virginibus*, de quibus deinceps loquitur, sed *uxoratis* tantum & *viduis* ob oculos ponat, alterutrum censuerim eum fuisse, & non *virginem*; quod auctor Wetstenii adserit. Cui antiquior quoque concinit, & robur addit, traditio. *Paulum* enim in eorum classem, qui uxores habuerunt, refert, præter Ignatii Interpolatorem *a*, cui nomen *Pauli* non fuisse ab hæreticis insertum probavit Usserius, *b*, Clemens Alex. *c*, qui illud præterea ex 1 Cor. ix. & Phil. iv. 3. confirmat; non facturus, virginitatis & ipse fautor, nisi tunc recepta inter Catholicos fuisset opinio: a qua deinceps, excepto Methodio *d*, Sec. III. non incelebri scriptore, forte & Eusebio *e*, quia locum Clementis sine censura recenset, uti-

a ad Philad. §. 4. *b* Proleg. ad. Ignat. c. 17. *c* Strom. l. III. p. 535. *d* conv. x. virg. or. III. p. 73. *e* Hist. E. l. III. c. 30.

utique Chryfoftomo, qui Johannem utrumque, & Baptiftam & Euangeliftam, vocat *virginem*, fed Petrum & Paulum *continentia illuftres a*, difceffe-runt. Confirmat præterea Clemens ex locis ci-tatis; minus recte, ut videtur, quoad pofteriorem Phil. IV., cum de alio aliquo *focio* in munere, præ reliquis *ftrenuo*, intelligi poffit; licet de *uxore*, hoc nomine venire folita, capi poffe non diffitear; modo epitheton γνήσιε non de *fidelitate* in ma-trimonio, fed de ejusdem, ac Pauli mariti, animi propofito ac ftudio, in euangelio matrimoniali ufui præponendo, intelligatur: quemadmodum Timo-theum, & Titum adpellat filios γνησίες *b*. Ce-terum opinio de Pauli virginitate ab illis, quo-rum fuit autor actorum Theclæ, Encratitis & Mon-taniftis, profecta, facile fefe deinceps adprobavit virginitatis patronis; ficut Tertullianus *c* primus eft inter Latinos, fed jam Montanifta, qui illud tradidit. Reliquos vero Apoftolos conjugii vin-culo fuiffe nexos, antiquitas poffim credidit, uti loca, a Coteleriο *d* & aliis *e* citata, abunde evin-cunt. Circumduxiffe vero Apoftolos uxores, tradit Clemens Alex. ut miniftrarent euangelio *apud mulieres domifedas, ut ita in gynæceum abs-que ulla reprehenfione, malave fufpicione, ingredi pof-fet doctrina Domini.* Quod vero addit, non ut *uxores* fed *forores* fuiffe ab Apoftolis circumductas, ex fe, & non traditione, fed nec fatis ad rem, quam agit, adferit; uti Dodwellus *f* contendit; cui

 non

a De Virgin. oper. t. 1. p. 332. fin. *b* 1 Tim. 1: 2. Tit. 1. 4. *c* de Monog. c. 8. *d* ad Epift. Ig-nat. interp. ad Philad. §. 9. *e* Vid. & Bevereg. ad can. Ap. 1. Calixtus l. c. *f* ad Pearf. oper. Pofth. p. 194.

non ſine ratione contradixit Sam. Baſnagius *a*, de quo nihil adfirmo. Tertullianus rurſus, ſed Montaniſta, primus ex Latinis omnes Apoſtolos, præter unum Petrum, fuiſſe *ſpadones vel continentes*, ut ſupra vidimus, ſtatuit.

§. XXIX. Habeo adhuc quidem alia dubia; ſed in aliam occaſionem reſervanda. Præterquam enim quod Epiſtolæ forma majorem non patiatur molem, & nunc forte nimiam; Tuum, amiciſſime Hemſterhuis, judicium ante expiſcari debeo, quam pergam. Sicut enim hæc tuo ſtant caduntve judicio, ita filumne ſit abrumpendum an pertexendum? Tui erit arbitrii. Ita vale.

Dabam Franequeræ VIII. Id. Maji.
A. CIↃ IↃ CCLIV.

a Diſſ. VII. in. Ann. Pol. Eccleſ. t. II. p. 522.